DE CONIUNCTIONUM CAUSALIUM APUD GELLIUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

REINHARDUS NEUBAUER

HALBERSTADIENSIS.

MAGDEBURGII, MDCCCXC.

TYPIS CAROLUS FRIESE.

DE
CONIUNCTIONUM CAUSALIUM APUD GELLIUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

REINHARDUS NEUBAUER

HALBERSTADIENSIS.

MAGDEBURGII, MDCCCXC.

TYPIS CAROLUS FRIESE.

De coniunctionum causalium apud Gellium usu.

Ad sermonem Gellianum recte existimandum quae normae adhibendae sint, egregie exposuit Carolus Sittelius in libro, cui inscriptum est: „Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikanischen Lateins." Erlangae 1882. Demonstravit enim sermonem Gellianum, cuius quasi fundamentum est latinitas aetatis, quae dicitur argentea, multis proprietatibus ex lingua Graeca, ex priscorum scriptorum consuetudine, ex vulgari sermone haustis, aliquot etiam ex lingua Punica repetitis, infucatum esse. Hac in quaestione circumspecto iudicio utendum est cum omnibus in rebus, tum maxime in eis dicendi rationibus tractandis, quas ex vulgari sermone Gellius mutuatus esse vulgo existimatur. Nam fere omnes Gelliani sermonis proprietates, quae vulgo vulgaris sermonis imitationi tribuuntur, etiam apud priscos scriptores inveniuntur. Has autem elocutiones non ex vulgari sermone, sed ex priscorum scriptorum usu Gellium hausisse ex hac ipsa re elucet, quod Gellius nonnullis operis sui locis, quantopere sermonem vulgarem despiciat atque respuat, satis aperte declarat. Quod vero nihilominus aliquot dicendi rationes restant, quae nisi ex vulgaris sermonis imitatione explicari non posse videantur, has non consulto et de industria a Gellio usurpatas, sed ei invito atque inscio elapsas esse censeo, id quod etiam de Apuleio dicendum est contra Piechottam, qui in dissertatione, cui inscriptum est: „Curae Apuleianae" Apuleium permultas elocutiones de industria ex vulgari sermone mutuatum esse demonstrare conatus est.

Paullo post Sittelium de sermone Gelliano egregie disseruit Gorgesius in dissertatione, quae inscripta est: „De quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus" Hal. 1883; sed hoc libello, cum fere tota syntaxis tractetur, rem non absolvi non mirum est. Quae cum ita sint, operae pretium esse existimavi partem aliquam

syntaxis Gellianae accuratius perscrutari. Ut autem causales coniunctiones tractandas mihi proponerem, hac potissimum re adductus sum, quod et non paucorum scriptorum has particulas usurpandi ratio diligenter investigata est et is, qui de Gelliano sermone quaesiturus est, eum cum priorum scriptorum usu, quam accuratissime fieri potest, comparet oportet, ut quid Gellius ab aliis mutuatus sit, quid ipse novaverit, appareat.

Disseruerunt autem de coniunctionum causalium, qualis apud singulos scriptores obtineat, usu:

Reuss: De coni. caus. apud Tacitum usu. Halle 1876.

Zimmermann: Gebrauch der Conjunctionen „quod“ und „quia“ im älteren Latein. Posen 1880.

Reichenhart: Die subordinierenden kausalen Conjunctionen bei Lucrez. Frankenthal 1881.

Günther: De coni. caus. apud Quintilianum usu. Halle 1882.

Trachmann: De coni. caus. apud Publium Suetonium Tranquillum usu. Halle 1886.

Scherer: De particulae „quando“ apud vetustissimos scriptores latinos vi et usu. Strassburg 1883.

Praeter hos libros mihi emolumento fuerunt:

Draeger: Histor. Syntax der lat. Sprache. Leipzig 1878 u. 1881.

Kühner: Ausführliche Grammatik der lat. Sprache. Hannover 1878 u. 1879.

Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft mit den Anmerkungen von Fr. Haase, neu bearbeitet von J. H. Schmalz u. G. Landgraf, Berlin 1884.

Schmalz: Latein. Syntax in J. Müller's Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft. Nördlingen 2. Aufl. 1889.

Reiter: Quaestiones Varronianae grammaticae. Königsberg 1882.

Holtze: Syntaxis priscorum scriptorum lat. usque ad Terentium.

Gossrau: Lateinische Sprachlehre. Quedlinburg 1882.

Lübbert: Die Syntax von quom und die Entwickelung der relativen Tempora im Latein. Breslau 1870.

Ebert: De syntaxi Frontoniana. Erlangen 1881.

Hertz: Vindiciae Gellianae alterae. Leipzig 1879.

Ceteros libros suo quemque loco commemorabo.

Numeris utar editionis Hertzianae alterius.

§ 1.

Quod.

„Quod“ coniunctionem esse accusativum pronominis relativi nunc temporis viri docti consentiunt. Idque merito; nam ex accusativi significatione omnium significationum, quae in coniunctione „quod“ insunt, origo haud ita facile repetitur. Schmalzius l. l. pag 337 hoc ita facit, ut dicat: Quod ist der Accusativ des Pron. relativum; die Anfügung eines Satzes mit „quod“ soll also besagen, dass der Conjunctionssatz zu dem Hauptsatz in demjenigen Verhältniss stehend gedacht wird, welches sich im Accusativ verkörpert hat. Nun ist aber der Accusativ ursprünglich der allgemeine casus obliquus, somit bezeichnet die Verbindung mit quod eine dem entsprechende Beziehung der beiden Sätze. Die nächstliegende ist die des directen Objects“.

Haec explicatio quin improbanda sit non dubito; neque enim apparet, qui fieri possit, ut „quod“ vocabulo indicetur enuntiatum ex „quod“ suspensum esse obiectum enuntiati primarii. Videtur scilicet Schmalzius, cum hoc scribebat, in idem vitium incidisse, in quod recentiores grammaticos plerosque incidisse censet, ut historica grammaticae tractandae ratione neglecta notionibus philosophorum propriis uterentur. Nam qui historicam rationem secuturus est, ab iis dicendi rationibus initium capiat oportet, in quibus „quod“, cum a grammaticis et interpretibus vulgo pro coniunctione habeatur, revera nihil aliud est quam accusativus pronominis relativi, cuiusmodi exempla Holtzius (synt. prisc. script. Lat I, pag. 242 sqq.) et Zimmermannus l. c. pag. 1 collegerunt. Hoc maxime perspicuum est in iis exemplis, ubi in enuntiato secundario verbum aliquod veniendi vel mittendi invenitur, velut Plaut. Men. 677: „scin quid est quod ego ad te venio?“ a Draegero l. c. pag. 218 iure ita explicatur: „was ist das wohl, in Bezug worauf ich zu dir komme“. Ex huiusmodi elocutionibus haec „quod“ particulae usurpandae ratio originem duxit, qua ibi locum habet, ubi pronomen correlativum enuntiati primarii explicat, quem usum omnium postremum ortum esse Schmalzius censet, qua ipsa ex re, quam perversa eius ratio

sit, facile intellegitur. Ad hunc usum facile origo huius „quod“ particulae usurpandae rationis refertur, qua ibi collocata est, ubi pronomine correlativo in enuntiato principali omisso enuntiatum ex „quod“ suspensum subiecti vel obiecti vice fungitur. Ex explicativa huius particulae notione etiam causalis significationis origo facile repetitur, nam formula „propterea quod“, quae primitus intellegebatur: wegen des Umstandes dass, facile intellegebatur: desswegen weil, correlativo omisso restabat „quod = weil“. Qui explicativae notionis in causalem transitus etiam in verbis affectus observatur. Hanc significationem omnium postremam ortam esse si contendemus, non errabimus, nam adstipulandum esse videtur Luebberto, qui l. c. pag. 110 haec disputat: „Quod lässt sich in causaler Bedeutung noch nicht mit Sicherheit bei Plautus nachweisen“. Quod vero Schmalzius, in annotatione ad Reisig's Vorlesungen III pag. 287 sententiam Luebberti hac re refelli dicit, quod formula „propterea quod“ apud Plautum inveniatur, ei non adstipulor, nam hanc formulam a Plauto intellectam esse: „wegen des Umstandes dass“ nulla re prohibemur statuere. — De ipsa autem causali „quod“ particulae notione Schmalzius haec disputat: die Anknüpfung mittels quod und quia ist eine mehr äusserliche, während quom eine Kausalverknüpfung innerlicher Art, wo Grund und Folge in ihrem Gegenstande identisch sind, bezeichnet, z. B. Plaut. Rud. 1234 „isto tu's pauper quom nimis sancte piu's“. Sed hoc exemplum iniuria huc revocari censeo; nam ut non dicam „quom“ particulae hoc loco non causalem, sed potius explicativam vim (cf. Luebbert l. c. pag. 107) tribuendam esse, ex locis Plautinis, quod discrimen inter „quod“ et „quom“ statuendum sit, omino non potest colligi, quoniam, ut supra dixi, Plautus „quod“ particulam causali significatione non iam usurpavit. Sed ne in eorum quidem scriptorum usum, qui post Plautum „quod“ particulam causaliter ponunt, discrimen a Schmalzio constitutum quadrat. Nam multa exstant exempla, ubi id, quod Schmalzius de „quom“ particula dicit, in „quod“ particulam cadit. Quae cum ita sint, miror Schmalzium non probare id discrimen, quod Luebbertus, Draegerus, alii statuerunt: „cum“ particula logicam causam, i. e. eam, ex qua consecutio vel effectus cogitatione concluditur, „quod“ particula realem causam, i. e. eam, qua effectus ita, ut nulla alia res in medio versetur, efficitur, significari. Quae distinctio etsi a philosophis repetita esse videtur, tamen non video, cur sit improbandu. Nam cum suo iure ipse

Schmalzius p. 240 haec disputet: die Schriftsprache wurde unter dem sichtlichen Einfluss der griechischen Litteratur und der römischen Grammatiker sorgfältiger entwickelt, an Wörtern und Constructionen reicher, künstlerisch gestaltet und logisch praecisirt, non mirum est post Plauti *) aetatem scriptores Romanos etiam in causalibus coniunctionibus adhibendis logicam subtilitatem atque accurationem appetere. Atque etiam, quam rationem hac in re secuti sint, perspicuum est. Nam „cum“ et „quando“ particulas, quarum primaria notio est temporalis, ad logicam causam significandam, „quod“ et „quia“ particulas, quae primitus obiectum reale significant, ad realem causam notandam usurpant.

Videamus nunc qui sit „quod“ particulae usus Gellianus. Qua in re, quamquam de causalibus tantummodo coniunctionibus disputare mihi proposui, tamen universum „quod“ particulae usum illustrandum esse censeo, quoniam „quod“ particula persaepe ita usurpata est, ut, utrum causalem vim habeat, an explicativam, non ita facile diiudicari possit. Atque primum quidem de explicativa, tum de causali vi particulae agam. Totam autem hanc disputationem ita instituam, ut prius neglecto modorum usu de ipsa coniunctione, tum de modis coniunctioni additis disseram.

I. De ipsa „quod“ coniunctione.

1. De „quod“ particulae vi explicativa.

Enuntiata ex „quod“ particula suspensa aut singula enuntiati principalis verba aut totam eius sententiam explicant. Convertimus „dass“, „dass nämlich“.

a) Atque primo quidem loco ea exempla commemoranda sunt, in quibus „quod“ particula aliquid affert, quo pronomen correlativum enuntiati principalis explicatur, hic enim usus quasi transitum praebet a „quod“ pronomine ad coniunctionem. In nominativo pronomen positum est. Legimus „id quod V, 21, 14. Huius

---

*) De Plauto eiusque aequalibus suo iure Luebbertus l. c. pag. 111 hoc disputat: „Das ältere Latein stellt den logischen und realen Grund noch auf eine Stufe, jeder Grund ist ihm noch ein Real-Verhältniss, desshalb kann auch causales Quom noch in Verhältnissen stehen, wo das spätere Latein statt dieser Partikel eine andere mehr objective Causalpartikel angewendet haben würde.“

opinionis Sinnianae id quoque adiumentum est, quod „complures“ cum dicimus, non comparative dicimus.“

Porro: VII, 5, 4; X, 31; XVII, 21. 31.

Hoc quod I, 9, 8: „non est hoc satis, quod sunt omnino ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι, sed legem etiam dant, qua philosophari discant.“

Porro: II, 2, 10. IX, 2, 9. 4, 10. XVI, 3, 2. XIX, 1, 8.

Illud quod: XIX, 5, 8. „Sed aliquantum, quod est salubrius, difflari atque exvaporari ex nive indicium illud est, quod minor fit illo, quod ante fuerat, quam concresceret.“

Ipsum illud quod: XII, 5, 10. „Sed haut scio, inquit, an dicat aliquis, ipsum illud, quod pugnat, quod gemit, si malum dolor non est, cur necesse est gemere et pugnare.“

Hunc locum corruptum esse persuasum habeo, quamquam nemo hoc in loco offendit. Nam si verba, ut in codicibus leguntur, a Gellio scripta esse censeremus, eam licentiam, quae ἀνακόλουθον vocatur, nimis insolenter ab eo usurpatam esse statueremus. Locus facile ita sanari potest, ut lacuna post verbum „gemit“ statuatur, qua in medela eo minus offendendum est, quod multi alii loci Gelliani, quamquam omnibus codicibus sine discrimine perhibentur, nisi hac medela adhibita sanari non possunt. Censeo autem post verbum „gemit“ haec verba excidisse: „ostendere, dolorem malum esse.“

Saepissime autem pronomen demonstrativum in enuntiato primario omissum est, ut I, 7, 20: „Sicuti est hercle, quod „explicavit“ dicere maluit, quam „explicuit.“ Item; II, 17, 11; 21, 5. III, 10, 11. IV, 15, 4; 17, 10. V, 11, 7; VI, 3, 54; XII, 12, 3; XIII, 8, 5; XIV, 1, 3; XVIII, 2, 8; 11, 3. XX, 1, 12; 1, 30.

Interrogativum „quid“ in enuntiato primario positum est: XX, 1, 19: Quid nim videri potest efferatius, quid ab hominis ingenio diversius, quam quod membra et artus inopis debitoris saevissimo laniatu distrahebantur?

Accusativi: Id quod: III, 10, 15: „Neque non id etiam sumit ad vim facultatesque eius numeri augendas, quod, quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem oppetunt.“

Porro: V, 19, 5. VI, 12, 4; XII, 1, 23; 3, 3; 3, 5. XVII, 10, 17. VIII, 1, 8.

Hoc quod VI, 13, 12: „Culpavit autem primum hoc, quod Cato inerudite et ἀναγώγως, ut ipse ait, principio nimis insolenti nimisque acri et obiurgatoris usus sit.“

Porro: XIII, 8, 1.

Illud quod: XII, 1, 21: „Et praeter haec autem quis illud etiam neglegere aspernarique possit, quod, quae partus suos deserunt ablegantque a sese et aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quod parenses cum filiis natura consociat, interscindunt.“

Porro: XIII, 21, 25; XIV, 1, 19; 1, 31; XX, 1, 11.

Nonnunquam etiam accusativus pronominis in enuntiato primario omissus est, ut I, 26, 7: „his omnibus, quae in eo libro scripta sint, nequaquam convenire, quod provolutus effususque in iram plurimis se plagis multaret.“ Codices PY pro „sint“ praebent „sunt“ quae lectio genuina esse videtur, cum saepius apud Gellium in oratione obliqua indicativus inveniatur. cf. Hertz vind. Gell. alterae pag. 25.

Item: III, 10, 11; IV, 6, lemma; V, 6, 24. VI, 3, 39; 4, 2; 7, 4; XIII, 8, 5; XVI, 19, 23; XIX, 4, 4. Hoc loco codex Z pro „quod“ praebet „quam.“

Ablativus: eo quod: V, 18, 1: „Historiam ab annalibus quidam differre eo putant, quod, cum utrumque sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is qui narret“. Ablativus „eo“ subaudiendus est: IV, 2, 13: „morbum et vitium distare, quod vitium perpetuum, morbus cum accessu decessuque sit.“

Eadem vox tribus locis supplenda esse videtur, ubi verbum „errare“ particulam „quod“ sibi adiungit: I, 18, 1. XV, 28, 4; XVIII, 7, 2.

His locis eos annectam, ubi „quod“ refertur ad correlativa a praepositionibus pendentia.

Inveniuntur autem:

In eo quod, IX, 15, 5: „Aderat ibi nobiscum Iuliani sectator, iuvenis promptus et proficiens et offendens iam in eo, quod ille aput Iuliani aures in praecipiti stare audebat.“

In eo ispo quod: I, 4, 7: „et qui debet, in eo ipso, quod debet, refert.“

Pro eo quod: IX, 3, 5: „Quod equidem dis habeo gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit, temporibus vitae tuae.“

Ob id quod: XIII 21, 14; „Ennius aere fulva dixit, non fulvo, non ob id solum, quod Homerus ἠέρα βαθεῖαν dicit, sed quod hic sonus, opinor, vocabilior visus est et amoenior.“

Adversum hoc quod: XIV, 1, 27: „Ad postremum autem et quid esset quod adversum hoc dici posset, requirebat, quod homines . . . eodem genere mortis eodemque ictu temporis universi simul interirent.“

Ex eo quod: I, XVIII, 4: „Sed in superiore eiusdem libri parte furem dicit ex eo dictum, quod veteres Romani furvum atrum appellaverint.“ Item: XVIII, 2, 14.

„De eo“ vel „de ea re“ subaudiendum est: III, 1, 11: „quid igitur, inquit, dicimus, quod multos videre est pecuniae cupidos.“

„Prae hoc quod“ pro „praequam“ proponitur a Cantero: I, 3, 6: „Visum est esse id quod feci praequam erant alia toleratu facilius;“ sed non est, cur lectio tradita mutetur, nam eadem ratione vocabulum „praequam“ saepins a Plauto usurpatur.

b) Iam ea exempla in medium profero, in quibus „quod“ particula appositionem quandam explicativam substantivi in enuntiato principali collocati introducit, qua in re ea exempla praeter mittam, ubi substantiva cum pronominibus demonstrativis coniuncta sunt.

In nominativo substantivum, quod explicatur, collocatum est: I, 22, 1: „Inroboravit inveteravitque falsa atque aliena verbi significatio, quod dicitur, hic illi superest.“ Enuntiato ex „quod“ suspenso indicatur, quae sit illa falsa atque aliena significatio.

Accusativi exempla afferre possum haec: I, 3, 10: Is Crassus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima et praecipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iuris consultissimus, quod pontifex maximus. „Maxima et praecipua“ positum est pro: „res maximas et praecipuas.“

Porro: VI, 11, 4. XIII, 14, 5. XVII, 1, 11.

Ablativi exempla sunt haec: I, 3, 24. „Neque nominibus, inquit, moveri nos oportet, quod paria genere ipso non sunt honestas meae famae et rei amici utilitas.“ Enuntiato ex „quod“ suspenso

ablativus „nominibus" explicatur: Nicht darf man sich durch den Einwand bestimmen lassen, dass . . . . Codices P et R pro „nominibus" praebent: „in omnibus", sed omnes editores suo iure hanc lectionem respuerunt, quippe quae a sententiarum nexu prorsus aliena sit.

Porro: IV, 6, 3; XVI, 10, 13.

Neque genitivi neque dativi exempla inveni.

c) Videamus iam, qui sit formulae „nisi quod" usus Gellianus. „Tantum quod", „excepto quod", „praeterquam quod" non legitur.

Huius formulae significatio a Wexio ad Taciti Agricolam 6. ita explicatur: „Nisi quod dicunt Latini, cum limitant pronuntiatam aliquam sententiam, ita ut, quod universe et absolute pronuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse dicant. „Similiter disputat Draegerus l. c. II p. 382. Nisi quod, „nur dass" bezeichnet eine Thatsache als eine Ausnahme."

Apud Gellium „nisi quod" duobus locis legitur; V, 17, 5 et IX, 9, 9. V, 17, 5: „Nihil nos super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles."

IX, 9, 9: „Hoc igitur reliquit et cetera vertit non infestiviter, nisi quod „caprum dixit, quem Theocritus ἐνόρχαν appellavit."

XIX, 8, 14 codice Q. praebetur: „nisi quod", sed suo iure omnes editores „nisi quid", quae lectio ceteris codicibus perhibetur, in textum receperunt.*)

---

*) Schmalzius l. c. pag 339 haec disputat: „Wie man statt „neminem vidi praeter te" auch sagte: „nisi te", so hat sich neben praeter quod schon frühe nisi quod gebildet." Hac cum opinione non convenit id, quod Schmalzius pag 340 dicit: „Mit praeter quam u. ä hat quia nie eine Verbindung eingegangen, woraus zu schliessen, das nur nisi quod und nisi quia volksthümlich, die andern Wendungen aber künstlich nachgebildete waren und deshalb auch sich nur vereinzelt finden." Ex his, quae posteriori loco Schmalzius disputat, sine dubio apparet formulam „nisi quod" priori tempore ortam esse quam formulas „praeter quod" et „praeter quam quod", id quod etiam hac re confirmatur, quod formula „praeter quod" non ante Florum et Frontonem invenitur. Sed ne hoc quidem concedendum esse videtur, formulas „praeter quod" et „praeter quam quod" ex formula „nisi quod" originem duxisse, nam harum formularum significatio prorsus diversa est a significatione formulae „nisi quod". Nam formulis „praeter quod" et „praeter quam quod" factum aliquod significatur, ad quod aliud factum accedit, formula „nisi quod" factum significatur, quo commemorando indicatur sententiam, quae enuntiato principali continetur, exceptionem aliquam habere.

d) „Quod“ post verbum: „accedit“ semel legitur: XIV, 3, 5: „Praeterea putant id quoque ad ista, quae dixi, accedere, quod Xenophon . . . negat Socratem . . . disputavisse.“

e) „Quod“ post verba praetereundi quater legitur: „praetereo quod“ I, 9, 12: „Sed id quoque, non praetereundum est, quod omnes“ e. q. s.

Praetermitto quod: V, 8. 8: Et, quoniam facta litui mentio est, non praetermittendum, quod posse quaeri anidmadvertimus e. q. s. Item: XIII, 1, 5: Illud tamen non praetermittendum est, quod Vergilius quoque id ipsum, quod Cicero, de fato opinatus est. Item XIII, 23, 19.

Quod vero XIII, 14, 7 legitur: Sed de Aventino monte praetermittendum non putavi, quod . . . offendi e. q. s., hoc loco „quod“ pronomen esse videtur.

f) „Quod“ post verbum „facio“ cum adverbio coniunctum inveni: XX, 5, 7: „Alexandèr litteras ad Aristotelem misit, non eum recte fecisse, quod disciplinas acroaticas involgasset.“

Accusativus adiectivi neutr. fungitur vice adverbii hoc loco: XVII, 1, 11: „Cicero . . . inquit . . . ut ostentaret facere eos deridiculum, quod proinde Caelio formam crimini darent, quasi“ e. q. s. Tribus locis verbum „fecit“ supplendum est:

VI, 3, 54: „Inique igitur Tiro Tullius, quod ex omnibus facultatibus tam opulentae orationis aptis inter sese et cohaerentibus parvum quippiam nudumque sumpsit.“ Item: XII, 1, 20: Scite igitur et perite noster Maro, quod . . . criminatus est.“

Item: XVIII, 1, 2.

Eodem modo usurpatum est verbum: contingit: XIV, 1, 23: „tamquam quod forte in balneas ire volueris ac deinde nolueris atque id rursus volueris, non ex aliqua dispari variaque animi agitatione, sed ex necessaria quadam errantium siderum reciprocatione contigerit, ut plane homines non, quod dicitur, λογικὰ ζῶα, sed ludrica et ridenda quaedam neurospasta esse videantur“ e. q. s. Hoc loco ex verbo „contigerit“ non enuntiatio ex „ut“ suspensa apta est, — particula „ut“ enim sententia inducitur, quae ex iis, quae antecedunt, concluditur, — sed enuntiatio ex „quod“ suspensa. Hoc loco non adverbium aliquod cum verbo „contigerit“ coniunctum

est, sed substantiva ex praepositione „ex“ apta. Suo autem iure Gellius non „ut“ posuit, sed „quod“, cum hoc loco non narret aliquid factum esse, sed de eo, quod factum est vel fieri potest, quid sentiat, indicet.

Hac ratione verbi „facio“ usurpandi, nisi fallor, Gellius inductus etiam ad verbum „opinari“ cum adverbio coniunctum „quod“ particulam adiunxit: XIII, 8, 1: „Eximie hoc atque verissime Afranius poëta de gignenda comparandaque sapientia opinatus est, quod eam filiam esse Usus et Memoriae dixit.“ Gellius indicat, quid de dicto quodam Afranii sentiat. Ea re quod pro: „hoc eximie fecit“ dixit: „hoc eximie opinatus est,“ eam rem, de qua iudicium suum pronuntiat, accuratius definit: est enim non facinus quoddam, sed opinio.

g) Particulae „quod“ post verba sentiendi et declarandi pro infinitivo cum accusativo positae primum exemplum a recentioribus grammaticis memoratur Plaut. Asin. I, 1, 37: „equidem scio iam filius quod amet meus.“ Hunc locum iniuria huc revocari suo iure contendit Blassius (Mus. Rhenan. 1882 pag. 151); quod vero dicit: somit sind die Anfänge des „quod“ statt Acc. c. inf. um eine beträchtliche Zeit herabzurücken,“ ei non assentior. Nam hic usus obviam est apud Catonem 77, 1, J.: „dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam et quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere, vincam.“ Quod vero Draegerus l. c. II. pag. 223 censet „quod“ esse adverbium interrogativum pro „quid“ positum, ei non adstipulor, sed potius cum Zimmermanno facio, qui l. c. pag. 6 dicit: „man sieht nicht ein, was Cato hat dazu bewegen können, das im substantivischen Sinne ungebräuchliche „quod“ hier zu setzen, während er doch unmittelbar vorher das richtige „quid“ gebraucht.“ Quod autem Paetzoltius (Philolog. Rundschau 1881 pag. 417) censet „bonum“ hoc loco intellegendum esse substantivum (welch ein Gut es sei), haec interpretatio a sententiarum conexu aliena est. Nam Cato non ostendere vult, quam bonum sit Graecorum litteras inspicere, sed potius. bonum esse illorum litteras inspicere, perdiscere non bonum esse. Aliud exemplum, quod huc revocandum esse videtur, legitur in Ennii Medea 285 Müll.: „Non commemoro quod draconis saevum sopivi inpetum, Non quod domui vim taurorum et segetis armatae manus“, quamquam concedendem est hoc loco usum particulae

„quod“ hac re excusari, quod „non commemoro“ eandem significationem habeat, quam verbum aliquod praetereundi. Apparet igitur, hunc usum, de quo agimus, priscis scriptoribus non prorsus abiudicandum esse. Ac ne aureae quidem latinitatis auctores hunc usum prorsus respuerunt, quamquam concedendum est omnibus locis, qui in aurea latinitate inveniantur, hunc usum hac re excusari, quod nostra particula spectat ad pronomen correlativum in enuntiato primario positum, excepto uno loco (36, 1.) auctoris belli Hispaniensis. (Köhlerus: de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate pag. 77 praeter hunc locum duos alios eiusmodi affert; sed alter (18, 5) est dubia codicum auctoritate, alter (10, 2) huc non pertinet.) Sed errare mihi quidem ei videntur, qui censent hos locos nihil alieni habere, nam alioquin aureae latinitatis auctores, etiamsi correlativum pronomen in enuntiato primario invenitur, post verba sentiendi et declarandi non „quod“, sed infinitivum cum accusativo ponunt. Haec structura interdum invenitur apud Valerium Maximum, Suetonium, Livium, Tacitum, Plinium, e poëtarum numero solus Vergilius unum locum praebet. Recte de his locis annotat Vogelius (ann. philol. 1883 pag. 186): Dieser Gebrauch hat sich lange auf die Fälle beschränkt, in denen der Grieche ὅτι oder das Participium, nicht den Infinitiv gesetzt haben würde; d. h. wenn es sich um Mittheilung oder Erörterung einer constatirten Thatsache handelte.

Primus omnium ultra terminos a Vogelio observatos hunc usum propagavit Gellius qui, nisi fallor, tricies ter hanc structuram praebet. Locos huc spectantes composuit Gorgesius l. c. p. 51. His locis adiciendi sunt: II, 26, 21: IV, 11, 11; IX, 9, 14; XI, 18, lemma; XVI, 8, 16; XIV, 6, 4; XVIII, 10, 5. Tres locos Gorgesius iniuria huc revocavit: I, 2, 7; ubi „quod“ pendet e verbo „convenire“; V, 8, 8 et XIII, 23, 19, ubi „quod“ pendet e verbo „praetermittere“, qui loci alio loco (§ 1, d) tractandi sunt; III, 10, 8, ubi „quod“ particula explicativa est ad voces „illam vim“ spectans.

Tredecim locis verbum sentiendi vel declarandi, ex quo enuntiatum ex „quod“ suspensum aptum est, infinitivus vel participium est. Hoc cum tot locis observetur, in casu ponendum non esse videtur quod Gellius his locis non infinitivum, sed „quod“ particulam ponit; nam his locis hoc potissimum egisse videtur, ne orationem infinitivis vel participiis nimis cumularet, sed magis

dilucidam redderet. Hoc maxime perspicuum erit, si comparaveris XV, 7 lemma cum XV, 7, 1. In lemmate Gellius usurpavit „quod" particulam, nam verbum sentiendi (observare) positum est in infinitivo, in paragrapho 1 infinitivum cum accusativo, nam verbum sentiendi finitum est.

Octo locis invenitur in enuntiato primario correlativum, ad quod particula „quod" spectat.

Duobus locis (XIV, 6, 4 et XVIII, 10, 51) enuntiatum ex „quod" suspensum coordinatum est cum enuntiato interrogativo indirecto. Duobus locis (IX, 9, 14; XIX, 12, 3) in eodem verborum ambitu ex eodem verbo pendet priori loco enuntiatum ex „quod" suspensum, deinde infinitivus cum accusativo.

Quod attinet ad modorum usum, post imperfectum omnibus locis, post perfectum historicum ubique duobus tantummodo exceptis (I, 26, 21 et IX, 9, 14) coniunctivus, post praesens septem locis indicativus, quinque locis coniunctivus legitur. In universum igitur dici potest post tempora primaria indicativum, post tempora secundaria coniunctivum adamari. Haec modos usurpandi ratio utrum in casu pononda sit, necne, in medio relinquo: hoc tantum dico ullam aliam rationem Gellium non secutum esse videri.

Saepissime lemmata coniunctione „quod" inducuntur, ubi accusativus cum infinitivo exspectatur. Quinquaginta octo locis indicativus, viginti locis coniunctivus reperitur cf. Gorges l. c. pag. 52.

h) Sequitur ut „quod" particulae, ellipticum, qui dicitur, usum commemoremus.

Hic usus iam apud priscos scriptores invenitur. Ex Plauto undecim loci a Zimmermano l. c. pag. 2, ex Terentio duodecim, unus ex Afranio, ex Catone unus, unus ex senatus consulto de phil. et rhetor. (Wordsworth pag. 274), unus ex lege agraria (Wordsworth pag. 194) afferuntur. His locis decies quater indicativus, decies ter coniunctivus isque potentiatis invenitur. Videmus igitur errare Kühnerum, qui l. c. II, d. 840 dicit: „Bei Plautus und Terentius wird quod alsdann mit dem Conjunctiv verbunden".

Post horum scriptorum tempora hic usus paullatim ex litteris expellitur et intra terminos sermonis cotidiani et familiaris coërcetur, id quod inprimis hac re confirmatur, quod Cicero hac ratione dicendi in epistolis creberrime, in ceteris scriptis perraro utitur. Apud multos scriptores hic usus omnino non, apud nonnullos rarissime

occurrit. Primus ex scriptoribus posteriorum temporum hac ratione dicendi latius diffusiusque utitur Gellius, apud quem hic usus quattuordecim locis invenitur. Loci sunt hi: II, 16, 8; 20, 5; 22, 28; IV, 6, 3; VI, 3, 22; IX, 1, 8; XIII, 6, 2; 11, 7; 25, 30; XIV, 6, 12; XVII, 10, 16; 10, 19; XX, 1, 12; 1, 37.

Hic tam diffusus usus utrum ex priscorum scriptorum an sermonis cotidiani imitatione explicandus sit, quaerere supersedemus, quum ipsis rebus, quas tractat, Gellius ad hunc usum pellectus esse videatur. Nam quum saepissime sententias veldicta virorum doctorum vel spriptorum commemoret et de iis quid ipse sentiat, indicet, eum ellipticum „quod“ particulae usum tantopere adamare non mirum est. Quod attinet ad modorum usum, Gellius omnibus locis indicativum posuit.

His addere mihi liceat saepius iniuria a viris doctis ellipticum „quod“ particulae usum statutum esse. Ut exemplum afferam, Trachmannus l. c. pag. 20 ex Suetonio hunc locum annotat: Tib. 52: „Quod vero Alexandream propter immensam et repentinam famem inconsulto se adisset, questus est in senatu“. Hoc loco quo iure ellipsis statuatur, non video; nam particula „quod“ apta est ex verbo „questus est“. Hoc tantummodo hoc loco insolentius est, quod enuntiatum ex „quod“ suspensum ante enuntiatum primarium positum est, qua positione scriptor efficit, ut sententia, quae enuntiato secundario continetur, magis urgeatur et facilius ad sententiam antecedentem referatur.

Contra idem Trachmannus iniuria Baumgarten - Crusium reprehendit, quod A. 88 ellipticum usum statuerit. Locus est hic: „Nam quod saepe non litteras modo, sed syllabas permutat aut praeterit, communis hominum error est“. Ad hunc locum annotat Trachmannus: „Ellipticum illum usum minime hic locum habere statim apparebit, cum enuntiati structuram hunc in modum mutaveris: crebra non litterarum modo, sed syllabarum permutatio aut praeteritio communis hominum error est“. Sed hac ipsa ex re, quod Trachmannus enuntiati structuram hunc in modum mutandam esse censet, apparet ellipticum usum hic statuendum esse. Nam haec res, quod is, de quo dicitur, litteras et syllabas permutat aut praeterit, error tantummodo eius est, de quo dicitur, non communis hominum error. Ellipsis ita explenda esse videtur: Nam quod saepe non litteras modo sed syllabas permutat aut praeterit, haec permutatio aut praeteritio communis hominum error est.

2. Progrediamur nunc ad ea enuntiata a „quod“ pendentia, quibus causa additur enuntiationi principali:

a) Atque primum quidem de iis enuntiatis dicendum est, in quibus „quod“ particula ex iis verbis suspensa est, quae animi affectum significant, velut „delector, miror, glorior,“ sicut ex verbis „laudandi, vituperandi, accurandi“, similibus. Haec enim enuntiata, ut Trachmannus l. c. p. 16 recte explicat, tamquam transitum praebent a „quod“ particula explicativa ad „quod“ causale, quum haec ita comparata sint, ut in angustias adducamur, utrum causalis „quod“ particula intellegenda sit an explicativa. Ceterum de hac quaestione infra (§ 2, 2) disseretur.

Invenitur autem „quod“ post haec verba:

queror quod: II, 23, 8.
conqueror quod: XVIII, 8, 2.
miror quod: III, 4, 2; XVI, 3, 4; XVIII, 1, 6.
demiror quod. VI, 1, 6; IX, 9, 15.
admiror et permoveor quod: VI, 2, 6.
aegre patior quod: IV, 18, 12.

Post verba laudandi, accusandi, similia:

laudo quod: XIII, 20, 5.
reprehendo quod: II, 9, 1; V, 9, 15; VII, 6, lemma; XVII, 11, 1.
maledictis iacto quod: I, 5, 2.
contumeliose appello quod: III, 17, 5.
accuso quod: XIII, 25, 12.
obiicio quod: XII, 12, 3.
gratias ago quod: IV, 8, 8.
gratiam fero quod: XVI, 13, 5.

Ad horum verborum similitudinem etiam hae phrases, quas nunc afferam, cum „quod“ particula coniunctae sunt:

celebror et hominum memoria dignor quod: XIX, 11, 1.
corona civica dono quod: V, 6, 15.
coronam do gramineam quod: V, 6, 10.
diem dico quod: IV, 14, 3.

Infinitivus cum accusativo post huiusmodi verba nusquam invenitur. Quod vero legitur XX, 10, 4. „Cumque ille demiratus aliena haec esse a poëtis et haud usquam inveniri in carminibus

Enni diceret, tum ego" e. q. s. infinitivos „esse" et „inveniri" non ex verbo „demiratus", sed ex verbo „diceret" pendere nemo non videt.

b) Iam exempla in medium profero, in quibus „quod" particula enuntiatum secundarium introducens, ad correlativa praecedentia spectat. Legimus: „Ideo quod". XIII, 3, 1: „Risu prorsus atque ludo res digna est, cum plerique grammaticorum adseverant necessitudinem et necessitatem mutare longe differreque, ideo quod necessitas sit vis quaepiam premens et cogens." Porro: XX, 1, 22.

Ea re quod: XIX, 8, 16: „Haec quidem Fronto requirere nos iussit vocabula non ea re, opinor, quod scripta esse in ullis veterum libris existumaret, sed ut nobis studium lectitandi in quaerendis rarioribus verbis exerceret."

Idcirco quod: II, 4, 5. „Sed videtur tamen significare velle idcirco dici divinationem, quod in aliis quidem causis iudex ea, quae didicit quaeque argumentis vel testibus demonstrata sunt, sequi solet."

Porro: V, 12, 6; VI, 3, 25; X, 3, 15; 12, 4; XVII, 8, 10.

Quod . . . idcirco: II, 7, 19: Quod enim utrumque in genere ipso per sese neque honestum neque turpe est, idcirco, si pater iubeat, obsequendum est.

Porro: I, 25, 16.

„Propterea quod": XI, 5, 8: „Cum haec autem consimiliter tam Pyrronii dicant, quam Academici, diferre tamen inter sese et propter alia quaedam et vel maxime propterea existimati sunt, quod Academici quidem ipsum illud nihil posse comprehendi quasi comprehendunt" e. q. s.

„Tanto magis quod": XI, 13, 4: Cursus igitur hic et sonus rotundae volubilisque sententiae eximie nos et unice delectabat, tanto id magis, quod iam tunc C. Graccho, viro in lustri et severo, eiusmodi compositionem esse cordi videbamus. „Ob eam causam quod" III, 19, 4.

II. De modis cum „quod" particula coniunctis.

Nunc exponamus modorum, qui coniunctionem „quod" sequuntur, usum. Qui quamquam in universum ab optimorum scriptorum dicendi consuetudine haud discrepat, tamen nonnulla, cum

insolentius dicta sint, mentione non indigna videntur. Ac primum quidem de indicativo, tum de coniunctivo disseram.

1. Indicativus.

Cato, Plautus, Sallustius, Livius, Curtius, Quintilianus, Tacitus, Suetonius, Iustinus, ex posterioribus imprimis Ammianus Marcellinus in enuntiatis secundariis orationis obliquae nonnunquam indicativum pro coniunctivo ponunt, etiamsi ex loquentis, non scribentis cogitatione ea manare intellegitur.*) Hunc usum Reussius l. c. p. 13 suo iure hunc in modum explicat: „scriptor alacritate dicendi pellectus partes eius, cuius vel sententias vel verba narrat, suscipiens ipse dicit, quod ab illo dici e sententiarum usu expectamus".

Hic usus apud Gellium latius quam apud priorum temporum scriptores patet. Nam ut non dicam de ceteris enuntiatis secundariis, inter ea, quae „quod" particula inducuntur, duodecim inveniuntur exempla, ubi indicativus exstat pro coniunctivo. Loci sunt hi: II, 6, 3: „Inlaudati' parum idoneum esse verbum dicunt, neque id satis esse ad faciendam scelerati hominis detestationem, qui, quod hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione execrationeque totius generis humani dignus esset." Hoc loco indicativus eo insolentius positus est, quod in enuntiato relativo, ex quo enuntiatum ex „quod" suspensum pendet, coniunctivus extat. Similis modorum et temporum mutatio invenitur: III, 10, 6: „in qua re non id solum animadverti debere dicit, quod quater septenis, id est octo et viginti, diebus conficeret luna iter suum, sed quod is numerus septenarius, si ab uno profectus, dum ad semetipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat ipsumque se addat, facit numerum octo et viginti, quot dies sunt curriculi lunaris."

Ceteri loci sunt: VII, 6, lemma; XIII, 15, 6; XVII, 1, 5; 11, 1.

Correlativa pronomina et adverbia, ad quae „quod" spectat, his locis inveniuntur:

II, 4, 5: idcirco quod.
III, 10, 8: illam quoque vim quod.
III, 10, 6: quem locum supra enotavi: id quod. Idem invenitur: IX, 9, 14; XI, 5, 8; XVII, 10, 17; XIV, 3, 5.

*) cf. Hassenstein: de syntaxi Ammiani Marcellini diss. inaug. Regismonti 1877.

X, 10, 2: hanc causam quod.
XI, 5, 8: propterea quod.
XIX, 1, 19: hoc quod.

b) Post verba reprehendendi, laudandi, accusandi similia, quae sub I, 2, a allata sunt, Gellius vicies semel coniunctivum, indicativum quater posuit. Soci sunt hi: II 23, 8: Maritus senex super uxore divite atque deformi querebatur, quod ancillam suam coactus erat vonumdare.

XIII, 20, 5: laudo te quod auditiuncula quadam de Catonis familia aspersus es.

VII, b, lemma: Temere iniusteque reprehensum esse a Julio Hygino Vergilium, quod praepetes Daedali pennas dixit.

XVII, 11, 1: „Et Plutarchus et alii quidam docti reprehensum esse ab Eresistrato Platonem scripsere, quod dixit.“ In his duobus exemplis indicativus eo insolentius est positus, quod oratio est obliqua.

c) Post „nisi quod“ semper indicativus positus est. In oratione obliqua „nisi quod“ nullo loco invenitur.

2. Coniunctivus.

Coniunctivi modi exempla, ubi post „quod“ inveniuntur, ut apud omnes scriptores, ita etiam apud Gellium ex orationis obliquae ratione facile explicantur, aliquid vero difficultatis ex hoc numero ea exempla praebent, in quibus ei, e quorum sententia enuntiata ex „quod“ suspensa posita sunt, non nominantur, sed implicite tantummodo in verbis enuntiati primarii continentur. Huius modi exempla apud Gellium inveniuntur non pauca. Exempla sunt: V, 12, 6: „Idcircoque simili nomine Jovis „Diovis“ dictus est et Lucetius, quod nos die et luce quasi vita ipsa afficeret et iuvaret“. Coniunctivi „afficeret“ et „iuvaret“ explicandi sunt ex opinione eorum, a quibus Juppiter dictus est. Hi vero non sunt singuli homines, sed totus populus Romanus. I, 5, 2: „Hortensius quod multa munditia et circumspecte compositeque indutus et amictus esset manusque eius inter agendum forent argutae admodum et gestuosae, maledictis compellationibusque probris iactatus est,“ Coniunctivus ex opinione eorum collocatus est, qui Hortensium maledictis iactaverunt.

XVI, 6, 9: „Ille nihil cunctatus, sed nimium quantum audacter: „oves“, inquit, „bidentes“ dictae, quod duos tantum dentes habeant.“

Coniunctivus positus est ex eorum cogitatione, a quibus oves bidentes dictae sunt.

XVI, 10, 13: „(Proletarii) non capitis censione, sed prosperiore vocabulo a munere officioquo prolis edendae appellati sunt, quod, cum re familiari parva minus possent rempublicam iuvare subolis tamen gignendae copia civitatem frequentarent.“ Coniunctivus positus est ex opinione ecrum, a quibus proletarii nominati sunt.

His locis omnibus ei, quorum ex sententia res a scriptore narrantur, nominatim non dicuntur, sed verbis passive positis velut „dictus est, iactatus est, dictae sunt, appellati sunt“ quasi implicite continentur.

Duo exempla occurrunt, in quibus coniunctivus ita positus est, ut ex modorum quadam attractione videatur explicandus esse. Sic XVI, 3, 2: „ac ne hoc quidem mirum, inquit, videri debet, quod, cum antehac semper edundi fuerit adpetens, nunc post imperatam inediam tridui omnis eius adpetitio pristina elanguerit.“ Expectamus hoc loco indicativum „relanguit“, quum enuntiato ex „quod“ suspenso res et ei, qui dicit, et eis, ad quos dicitur, prorsus nota neque ullo modo dubia afferatur. Coniunctivus „fuerit“ Gellium induxisse videtur, ut etiam in enuntiato ex „quod“ suspenso coniunctivum usurparet. In hoc dicendi usu non est quod offendamus, quippe qui apud optimos scriptores, imprimis apud Ciceronem occurrat, qui studio sermonis concinne conformandi pellectus ceteris grammaticae legibus neglectis hanc modorum attractionem in deliciis habuit. Exemplum ei, quod modo commemoravimus, simillimum ex Cicerone affert Draegerus l. c. I, p. 293: de rep. 1, 6, 11: „maxime hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod, qui tranquillo mari gubernare se negent posse, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus.“

Alterum exemplum Gellianum est XX, 1, 22: Nec ideo contemnas legum istarum antiquitates, quod plerisque ipse iam populus Romanus uti desciverit.“ Etiam hoc loco indicativum exspectamus, sed coniunctivus „contemnas“ Gellium induxisse videtur, ut etiam in enuntiato secundario coniunctivum poneret.

Modorum mutatio invenitur XII, 7, 4: „Nemo quisquam ex consilio sententiam ferre in causa tam ancipiti audebat, quod et confessum veneficium, quo maritus et filius necati forent, non admittendum inpunitum videbatur et digna tamen poena in homines sceleratos vindicatum fuisset.“

Haec vero modorum mutatio non ex negligentia, quamvis multis locis ea merito apud Gellium statuatur, orta est, sed e contrario ex diligentia in sententiis apte connectendis adhibita. Nam et indicativus „videbatur" et coniunctivus „vindicatum fuisset" optimo iure positi sunt. Hic enim facile explicatur ex opinione eorum, qui sententiam ferre non audebant, illum Gellius suo iure ex sua ipsius sententia posuit. Nam hoc „videri" in ipsius auctoris opinione positum est, non in eorum sententia, qui sententiam ferre non audebant, quippe quorum in opinione tantummodo illud „admittendum" („esse" supplendum est), non etiam hoc „videri" versetur. Videmus igitur Gellium in hoc usu vel optimos scriptores velut Ciceronem et Caesarem diligentia atque accuratione superare, nam hi in enuntiatis ex „quod" suspensis logicae legibus neglectis verba „sentiendi" aut „declarandi" (verbum „videri" enim nostro loco eandem vim habet quam verbum sentiendi) saepius in coniunctivo ponunt, quamquam non illud ipsum „sentire" aut „declarare" in alterius sententia positum est, sed ea, quae sentiuntur, quae declarantur.

§ 2.

Quia.

Particulam „quia" accusativum numeri pluralis neutrius generis pronominis „quis" a Pottio, quem secutus est Vandiceck (Gr. Lat. Etym. Wörterbuch I pag. 94) suo iure intellegi, Corssenii contra sententiam, qui „quia" particulam ex „qui" et „iam" compositam esse censet (Ausspr. des Lat. p. 586) improbandam esse viri docti nostra aetate consentiunt.

Quod attinet ad significationem „quia" particulae, Trachmannus l. c. p. 28 dicit, particulas „quod" et „quia" in universum eandem vim habere, sed hoc minus accurate disputat. Nam explicativa vis „quod" particulae a „quia" particula apud aureae quidem latinitatis auctores aliena est, etsi concedendum est et apud priscos scriptores et apud argenteae latinitatis auctores non paucos locos inveniri, quibus „quia" particula explicative usurpata sit. Hoc igitur tantum dici potest, „quia" particulam eodem modo atque „quod" ad causam afferendam adhiberi. Nam cum particulae „cum" et „quando" logicam causam inducant, „quod" et „quia" realem

causam afferunt. Discrimen quoddam inter causalem significationem „quod“ et „quia“ particularum intercedere ex recentioribus grammaticis, quantum scio, unus Gossravius contendit, qui l. c. pag. 583 hoc dicit: „Quia“ gibt einen zwingenden, „quod“ nur einen zufälligen oder blos vermittelnden, mitbestimmenden Grund, et alio loco: „Quia“ gibt den Grund, der in der Sache selbst liegt, „quod“ den, der aus dem Verhältniss der Sachen hervorgeht.“ Quod discrimen etsi a Cicerone observatum esse videtur, ceteri tamen scriptores saepius ab hac ratione recedunt et has particulas promiscue usurpare non dubitant. Ceterum huc addere mihi liceat ex ea re, quod scriptores nonnumquam „quod“ et „quia“ particulas in eodem enuntiato componunt, velut leguntur „et quod . . . et quia, non solum quod . . . sed etiam quia“ iniuria a Draegero et aliis colligi has particulas his locis prorsus eandem significationem habere.

Ut vero ad Gellianum „quia“ particulae usum transeam, Gellius cum „quod“ et „quoniam“ coniunctiones maxime in deliciis habeat, „quia“ particulam multo rarius usurpat, id quod eo magis mirum est, quod et prisci scriptores, quorum dicendi rationem permultis in rebus sequitur, et argenteae latinitatis auctores „quia“ particulam multo saepius quam „quod“ usurpant. Hic tam rarus „quia“ particulae usus haud scio an hac ex re explicandus sit, quod haec coniunctio omnibus temporibus sermonis vulgaris propria erat, quem a Gellio non solum non imitatione expressum, sed etiam acerrimo studio vitatum atque repudiatum esse pro certe habeo, id quod ipse compluribus locis operis sui aperte declarat. Hac cum re non repugnat, quod multa apud Gellium inveniuntur, quae sermonis vulgaris propria sunt, nam haec non propterea usurpavit quod vulgaria sunt, sed quod apud priscos scriptores inveniuntur, qua in re eum fugisse videtur ipsos priscos scriptores, imprimis Plautum, cuius sermonem plurimi aestimabat, sermonem vulgarem exprimere. Ceterum etiam Fronto et Apuleius, quorum cum sermone Gellianus sermo merito componitur, „quia“ particulam perraro usurpant.

Nunc eos locos afferamus, qui commemoratione digni esse videntur.

1. Quoniam vis causalis „quia“ particulae eadem fere est, quae „quod“ particulae, non mirum est eadem pronomina correlativa in enuntiato principali inveniri, ad quae „quod“ spectare solet.

Legimus: eo quia praefatio 5.
propterea quia: I, 11. 13; II, 21, 10; II, 9, 12.
quia . . . . . propterea: II, 6, 6; XIII, 20, 11.
idcirco quia; XIII, 31, 17.

2. „Quod“ particulae post ea verba, quae animi affectum significant et post verba „laudandi“, „accusandi“ similia positae a recentioribus grammaticis fere omnibus causalis vis tribuitur, conferas velim Draegerum, qui l. c. II p 223 dicit: „Quod nach Verbis der Affecte und des Anklagens scheint mir causale Bedeutung zu haben.“ Sed equidem censeo potius cum Zimmermanno faciendum esse, qui l. c. II pag. 5 dicit: „Ich halte auch diese Sätze entweder für Objectivsätze oder Subjectivsätze, welche den Inhalt des Verbums der Gemüthsbewegung entweder als Subject, Object oder als Accusativ des Inhalts angeben. Wenn es richtig ist zu sagen: in „crucior istuc Mil. IV, 8, 11, „id ego excrucior Epid. II, 2, 8 ist istuc, id Accusativ des Inhalts, so kann ich in dem Satze Capt. V, 3, 19 „quod male feci, crucior“ nicht gut eine andere Erklärungsweise in Anwendung bringen.“ Videtur igitur „quod“ particulae post haec verba usurpatae explicativa vis tribuenda esse, etsi facile concedo posterioribus temporibus scriptores magis magisque huius originariae significationis oblitos „quod“ particulam post haec verba positam causalem intellexisse. Haec opinio ea re confirmatur, quod aureae latinitatis auctores, quippe apud quos „quia“ particula non habeat significationem explicativam, post haec verba paucis locis exceptis, qui in Ciceronis epistolis inveniuntur, in quibus sermonem cotidianum exprimi constat, ubique „quod“, non „quia“ ponunt, cum et prisci scriptores et argenteae latinitatis auctores, apud quos „quia“ particula saepius explicativam vim habet, post haec verba illi frequentissime, hi haud ita raro „quia“ particulam usurpent. Gellius in hac dicendi ratione neque priscos neque argenteae latinitatis scriptores, sed aureae latinitatis auctores sequitur, nam post haec verba ubique „quod“, nusquam „quia“ usurpat. Nam quod IX, 3, 5, legitur: „Filium mihi genitum scito. Quod equidem dis habeo gratiam non proinde quia natus est, quam pro eo quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae“, hunc locum huc non esse referendum apparet.

3. „Quia“ pro „quod“ positum habet vim explicativam duobus locis. Legimus enim I, 4, 7: „sed absurdum et nimis coactum foret, si nondum redditam gratiam eo ipso redditam diceret, quia

debetur.“ „Quia“ particulam hoc loco non causalem, sed explicativam (wenn er sagen würde, man statte den noch nicht abgestatteten Dank grade dadurch ab, dass man ihn schulde) vim habere nemo negabit.

Neque non hoc loco „quia“ particula vim explicativum habet: IV, 11, 9: „Videtur autem de κυάμῳ non esitato causam erroris fuisse, quia in Empedocli carmine versus hic invenitur.*) Th. Mommsenius hunc locum ita legit; „qui in . . . . . sic invenitur,“ sed nulla alia causa eum ad „quia“ particulam tollendam commotum esse apparet, quam quod in explicativa significatione, quae quin „quia“ particulae hoc loco tribuenda sit, dubium esse non potest, offendebat. Hertzius vero lectionem, quae codicibus perhibetur, retinuit; idque merito. Neque enim est quod hoc in usu offendamus, quippe qui apud priscos scriptores imprimis apud Plautum et Catonem, ex quibus Gellium hunc usum mutuatum esse pro certo habeo, haud ita raro inveniatur. Huius modi exempla ab ipso Gellio duo ex Catone afferuntur, quae hic adscribere mihi liceat: Rodiensibus vel oberit quod non male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere?**) „Vitio vertunt, quia multa egeo: XIII, 24 10. Posterioris aetatis exempla composuit Herzius in vind. Gell. alter. pag. 54 n. 143 et in editione altera Noctium Atticarum I p. 269. Haec exempla desumta sunt ex Palladio, Prisciano, ex tragoedia Orest., ex Apollonio Tyrio, Servio. Sed ne argenteae quidem latinitatis auctores hunc usum prorsus respuisse Hertzium fugisse videtur. Güntherus enim l. c. p. 7 quinque locos ex Quintiliano affert, ubi „quia“ particulam significare „indem“, „dadurch dass“

*) Th. Mommsenius pro „causam“ proponit „causa“ quod comprobatur ab Hertzio. Sed non video quo iure. Nam etsi praeter hunc locum alius apud Gellium non invenitur, quo certis codicum testimoniis usus infinitivi cum accusativo post verbum „videri“ confirmetur, tamen non esse equidem censeo, quod hic usus Gellio abiudicetur, quoniam et apud priscos scriptores velut Plautum, Ennium, Accium (cf. Dräger II, § 438) et duobus locis apud Frontonem (cf. Ebert de synt. Frontonis pag. 34) invenitur. Ex ipso Gellio praeter eum locum, de quo agimus, duos affert Draegerus: I, 6, 3 et VI, 5, 5. Horum locorum priorem iniuria huc revocari ostendit Gorgesius l. c. p. 49; sed ne posterior quidem retinendus est, quod lectio „existimasse Alfenum videtur“ recentioribus solum codicibus praebetur, cum in codice V legatur „Alfenus.“

**) Madvigius in adv. critic. I vocem „quia“ tollit; contra hunc bene disputat Hertzius vind. Gell. alter. p. 54.

dicit. Loci sunt I, 6, 39; VIII, 6, 8; X, 15, 4; VII, 4, 23; X, 1, 15. Horum locorum tribus „quia“ particulam non necessario explicativam intellegendam esse, sed causalem intellegi posse etsi facile concedo, his duobus tamen quin explicativam vim habeat, dubium non esse censeo:

VIII, 6, 8: Hic, quia est verbum in lege „deprensus“, satis etiam significatum videtur non contineri lege nisi noxium ferrum.“ Enuntiato enim ex „quia“ suspenso non causa continetur, cur satis significatum esse videatur, sed explicatur, qua re significatum sit. Etiam ab hoc loco causae significatio abest: X, 1, 15: Nam omnium, quaecunque docemus, hoc sunt exempla potiora etiam ipsis, quae traduntur, artibus, — quia, quae doctor praecepit, orator ostendit (hoc, quia = dadurch dass).

His addere mihi liceat primo obtutu videri etiam XX, 8, 7 „quia“ particulam explicative usurpatam esse. Legimus enim: Eam causam esse dicunt sacerdotes Aegyptii, cur Pelusiotae cepe non edint, quia solum olerum omnium contra lunae augmenta atque damna vices minuendi et augendi habeat contrarias.“ Sed si accuratius totum locum inspexeris, videbis „quia“ particulam non explicare correlativum „eam“, nam hoc pronomen spectat ad enuntiatum antecedens, sed causalem vim habere. Nam etsi iam demonstratum est, quae sit causa, cur Pelusiotae cepe non edant, haec causa enuntiato ex „quia“ suspenso perspicuitatis et diluciditatis augendae gratia iterum aliis verbis significatur.

4. Uno loco „quia“ pro coniunctione „enim“ vel „nam“ positum est. Legimus enim: X, 12, 1: (Plinius) multa vana atque intoleranda auribus deinde quasi a Democrito scripta tradit, ex quibus pauca haec inviti meminimus, quia pertaesum est.“ Hoc loco „quia“ particula non affertur causa cur meminerit, sed cur invitus hoc faciat. Videmus igitur unius tantummodo notionis causam atque comprobationem afferi, id quod vulgo fit coniunctionibus coordinantibus „enim“ vel „nam“.

5. „Nisi quia“ uno loco legitur: XVII, 3, 5: „Quod cum ita Varro dicat, dubito hercle, an posterior syllaba in eo verbo, quod apud Homerum est, acuenda sit, nisi quia voces huiusmodi, cum ex communi significatione in rei certae proprietatem concedunt, diversitate accentuum separantur.“

Haec dicendi formula vice „nisi quod“ formulae fungitur iam apud Plautum, ex quo Gellius eam mutuatus esse videtur, et apud Terentium. Schmalzius l. c. pag. 340 per errorem contendit formulam „nisi quia“ tantummodo apud Plautum et Terentium inveniri. Nam praeter Gellium etiam Sallustius hunc usum praebet.

6. Sequitur ut unum locum commemoremus, ubi ad „quia“ particulam „enim“, ut ita dicam, pleonastice adicitur. Locus est hic: XII, 5, 10: „Sed haut scio, inquit, an dicat aliquis, ipsum illud quod pugnat, quod gemit, si malum dolor non est, cur necesse est gemere et pugnare? Quia enim omnia, quae non sunt mala, molestia quoque omni non carent“; e. q. s. Hunc usum quin ex Plauto mutuatus sit Gellius, non dubito; nam Plautus „quia enim“ formula in diverbiis saepissime ita utitur, ut cum interroganti alteri personae. cur aliquid sit, quae interrogatio particulis „cur“ „quam ob rem“ similibus induci solet, ab altera persona causa indicatur, haec responsio „quia enim“ formula introducatur. Similem in modum nostro loco „quia enim“ formula usurpata est. Nam Gellius postquam occupationem ipse sibi ita fecit, ut diceret: „haud scio an dicat aliquis: „cur necesse est gemere et pugnare?“ ita ipse sibi respondet, ut causam afferat, quam „quia enim“ formula introducit.

7. Sequitur ut unum locum commemoremus, in quo inconcinnitas quaedam elocutionis inest. Locus invenitur XVI, 13, 9: „Quae tamen condicio, cum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius . . . videntur et simul quia obscura oblitterataque sunt municipiorum iura“. Hoc loco parataxis effecta est inter substantiva: „amplitudinem“ et „maiestatem“, quae ex praepositione „propter“ apta sunt, et inter enuntiatum ex „quia“ suspensum.

8. „Quia“ nonnumquam ita usurpatum est, ut temporis quaedam significatio lateat. Itaque prope accedit ad „postquam“ coniunctionis usum. Huius dicendi rationis, quae in usu particularum „quoniam“ et „quando“ saepissime occurrit, aliquot exempla commemorant ex Quintiliano Güntherus l. c p. 9, ex Suetonio Trachmannus l. c. p. 30, ex Tacito Reussius l. c. p. 5. Apud Gellium duo exempla inveni: XV, 31, 4: „sin vero nos vincere obsidendo nequiveris, petimus consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris

bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse". Alterum exemplum, quod invenitur XV, 4, 3, hanc ob rem memoratu dignum est, quod Gellius ipse temporalem particulae vim indicare videtur, cum „quia" collocaverit post adverbium temporale „tum".

9. Restat ut unam rationem „quia" particulae usurpandae commemoremus, quam apud alium scriptorem nullum inveni, ellipticum dico usum, qui ne apud Plautum quidem invenitur, quamquam hic ceteris in rebus omnibus „quia" particula eodem modo utitur atque „quod" particula. Locus legitur VI, 17, 4: „sed enim quia dixi saepe „obnoxius" et quid dicerem nescivi, didici ex te et scire nunc coepi, quod non ego omnium solus, ut tibi sum visus, ignoravi, sed Plautus quoque . . nescivit".

II. De modis cum „quia" particula coniunctis.

Usum modorum „quia" particulae subiunctorum paucis absolvere possum, cum Gellius in modis post „quia" ponendis easdem rationes secutus sit, quas post „quod" particulam.

1. Indicativus.

Ut post „quod", ita etiam post „quia" haud ita raro in obliqua oratione indicativum legimus. Exempla sunt I, 4, 7; XIV, 2, 19. His locis cum indicativum ponit, Gellius ostendere videtur, res, quae enuntiatis causalibus continentur, veras et omnibus satis cognitas esse. Semel verbi „esse" forma in enuntiato ex „quia" suspenso supplenda est: XVI, 8, 2: „Tum quia in primo περὶ ἀξιωμάτων discendum, quae M. Varro — appellat, commentarium de proloquiis L. Aelii quaesivimus," quo loco verbum „erat" praetermissum est.

2. Coniunctivus.

Coniunctivus aut in oratione obliqua positus est aut ex opinione eorum, de quibus dicitur, explicandus est. Hoc cadit in II, 21, 9: „Itaque hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa quia simile plaustri videatur, antiqui Graecorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoque veteres a bubus iunctis „septentriones" appellarunt." Codex P. praebet „videatur", reliqui „videtur", quam lectionem culpae librariorum tribuendam esse conseo, qui, cum enuntiatum ex "quia"

suspensum rem certam et omnibus satis notam contineat, indicativum aptiorem esse rati coniunctivum libris traditum sustulisse videntur. Miror Hertzium in annotatione ad hunc locum et Madvigium in adversariis criticis II p. 590 „videbatur" proponere. Nam quamquam in enuntiato primario perfectum historicum positum est, praesens in enuntiato secundario positum nihil offensionis habet, cum causa, quae enuntiato secundario continetur, omnibus temporibus rata sit. Tempus igitur traditum cur mutandum sit, non video, ac ne in modo quidem est, quod offendamus. Nam multa enuntiata causalia apud Gellium inveniuntur, in quibus coniunctivus ex opinione eorum, de quibus dicitur, positus est, quamquam indicatium expectamus, cum enuntiato causali res certa et omnibus satis nota contineatur. Huc accedit, quod, quomodo ex scriptura „videatur" lectio „videtur" orta sit, facile intellegitur, multo difficilius explicari potest, quomodo haec lectio ex „videbatur" orta sit.

Aliquanto insolentius coniunctivus positus est XVI, 10, 11, cum ii, quorum ex opinione coniunctivus positus est, non nominatim commemorentur, sed implicite tantummodo in verbo „scribebantur" contineantur. Locum hic subiungo: „neque proletarii neque capite censi milites, nisi in tumulto maximo scribebantur, quia familia pecuniaque his aut tenuis aut nulla esset."

3. Non quia, (non quod), non quin.

Videamus nunc, qui sit „non quia" formulae usus Gellianus. In universum dicendum est „non quod", quod apud plerosque scriptores usitatissimum est, vel „non quoniam" omnino non inveniri. Uno loco obvium est „non ea re quod: XIX, 8, 16. „Non quo", quod apud Ciceronem usitatissimum est, legitur semel: IX, 12, 14. „Non quia" bis legitur; semel „non proinde quia". „Non quod non", „non quia non", „non quo non" omnino non inveniuntur, semel „non quin" legitur.

Legem, qua usus modorum in his elocutionibus regitur, optime constituit Reussius l. c. p. 14: „Si enim aliqua res, quae per se iusta ac vera vel est vel certe habetur, causa alicuius rei esse negatur, indicativus (scilicet excepta oratione obliqua), sin autem aliquid tantum cogitati et quasi per coniecturam inventi, coniunctivus adhibendus est."

a) Indicativus tribus illis locis legitur, ubi „non quia“ vel „non proinde quia“ invenitur; duobus locis lex, quam modo constituimus, servata, tertio neglecta est.

II, 7, 7: Aut recte, inquiunt, imperat pater aut perperam. Si recte imperat, non quia imperat, parendum, sed quoniam id fieri ius est.“ Apparet sententiam esse hanc: pater re vera imperat, sed hoc patris imperium non est causa faciendi.

IX, 3, 5: Filium mihi genitum scito. Quod equidem dis habeo gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae.“ Indicativus suo iure positus est, cum filius re vera natus sit.

Tertius locus est VII, 2, 11: „Sicut, inquit, lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque derupta iacias, causa quidem ei et initium praecipitantiae fueris, mox tamen ille praeceps volvitur, non quia tu id iam facis, sed quoniam ita sese modus et formae volubilitas habet.“ Hoc loco dubitari potest, quomodo verba „tu id iam facis“ explicanda sint. Aut idem sibi volunt, quod supra verbo „iacias“ significatum est, aut haec in iis inest sententia: „id iam facis vel efficis, ut lapis praeceps volvatur.“ Illa explicatio hac re ipsa se commendat, quod eam si sequimur, Gellium illam legem, quam supra constituimus, observavisse concedendum est, nam lapidem re vera iaci statuitur. Sed si accuratius sententiarum nexum considerabis, alteram explicationem probare non dubitabis, etsi Gellium negligentiae in modorum usu adhibitae coargues. Hac enim explicatione probata sententiarum conexus est hic: „si lapidem cylindrum per spatia terrae prona atque derupta iacias, causa quidem et initium praecipitantiae es, mox tamen ille praeceps volvitur. Huius rei iam non tu causa es, sed ipsius lapidis modus et formae volubilitas.“ Videmus igitur indicativum negligentius positum esse, quum coniunctivus expectetur, quod ea res, quae enuntiato ex formula „non quia“ suspenso continetur, non vera est, sed hoc ipsum agitur, ut hanc rem, quamquam de ea cogitari possit, veram non esse demonstretur.

Hoc loco mihi liceat commemorare duos huius modi locos apud Quintilianum inveniri in quibus eadem negligentia observatur, quam Güntherus ita excusare studet ut dicat: „Coniunctivum sane expectamus. Quintilianus vero indicativum posuit, quippe qui

simpliciter rem narret nec falsam causam supponi posse existimet. Quod licet, rationi non repugnet, tamen alieni quiddam prae se fert, quia plerumque, cum „non quia", „non quod" adhibemus, non abest suspicio falsam causam supponi." Sed hoc non satis convenienter disputare mihi quidem videtur. Nam non recte dicit Quintilianum non existimare falsam causam supponi posse. Nam si revera Quitilianus in hac opinione fuisset, omnino non posset excogitari, cur formua „non quia" usus esset. Nam quotiescunque quis hanc formulam adhibet, suspicit, falsam causam si non suppositam esse vel supponi, attamen aliquando supponi posse. Accedit, quod ex modo, qui formulam „non quia" sequitur, omnino non potest intellegi, utrum is, qui loquitur, falsam causam supponi posse existimet necne. Nam ex modo hoc tantum colligi potest, utrum scriptor eam rem, quam alicuius rei causam esse negat, per se veram esse censeat necne; ac ne hoc quidem colligi potest nisi apud eos scriptores, qui maxima diligentia atque accuratione in scribendo utuntur. Ex his quae dixi, apparere censeo aliquam rationem scriptores in indicativo pro coniunctivo usurpando esse secutos negandum esse.

Coniunctivus invenitur post „non ea re quod" XIX, 8, 16: „Haec quidem Fronto requirere nos iussit vocabula, non ea re, opinor, quod scripta esse in ullis veterum libris existumaret sed ut nobis studium lectitandi in quaerendis rarioribus verbis exerceret." Item coniunctivus legitur post „non quo" IX, 12, 14: „Itaque Sallustius in historia prima „metum Pompeii" dixit, non quo Pompeius metueret, quod est usitatius, sed quod metueretur." Post „non quin" XIII, 21, 20: Sic igitur „in manifesto peccatu" dixit, ut „in manifesto incestu" veteres dixerunt, non quin Latinum esset „peccato" dicere, sed quia in loco isto positum subtilius ad aures molliusque est." Omnibus his locis coniunctivus iure positus est, cum causa, quae formulis „non quod, non quo, non quin" inducitur, a veritate abhorreat.

Restat ut dicam de enuntiato veram causam continente, quod semel per „sed quia", bis per „sed quoniam", semel per „sed quod", semel per „pro eo quod" inducitur. „Sed quod" codicibus traditur hoc loco: IX, 12, 14: „Itaqne Sallustius in historia prima metum Pompeii dixit, non quo P. metueret, sed quod „metueretur."

Hertzius „quo" legit pro „quod", quod vocabulum ex „quod" praecedente male iteratum esse censet. Idque merito, nam „quo"

sententiarum connexu postulatur: Nam ea coniunctio, quam Gellium posuisse existimandum est, non causam inducit, sed „idem sibi vult, quod nostrum „insofern, als."

Verbum eius enuntiati, quod iustam causam affert, omnibus locis in indicativo positum est.

Unum invenitur exemplum, ubi „sed" particulam „ut" (finale) sequitur.

§ 3.

Quoniam.

„Quoniam" particulae, cum ex „quom" et „jam" composita sit, primariam significationem esse temporalem non mirum est. cf. Draeger § 532. Apud Gellium duo inveni exempla, ubi „quoniam" particulae vis mere temporalis tribuenda est. VI, 5, 4: „Is Polus unice amatum filium morte amisit. Eum luctum quoniam satis visus est eluxisse, rediit ad quaestum artis." De hoc loco disputat Gorgesius l. c. p. 42: „Temporalis ratio, de qua vid. Draeger II § 532, non prorsus negari posse videtur." Censere igitur videtur Gorgesius hoc loco ad causalem significationem temporalem accedere, sed potius res ita se habet, ut particulae significatio hoc loco mere temporalis sit.

Alter locus est XV, 27, 4: „Propterea centuriata in campo Martio haberi exercitumque imperari praesidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus". Vocem „propterea" non ad „quoniam", sed ad enuntiatum antecedens spectare nemo non videt. „Quoniam" hoc loco idem sibi vult, quod vulgo „quamdiu" vel „dum". Assentiendum igitur est Weissio, qui locum ita vertit: „so lange das Volk beim Stimmabgeben beschäftigt war."

Hanc rationem „quoniam" particulae significatione mere temporali usurpandae Gellium ex Plauto ceterisque priscis sriptoribus hausisse persuasum habeo. Nam post Terentium, qui ipse hanc particulam temporali significatione nisi rarissime iam non usurpat, primus Gellius hunc usum renovavit, quum neque apud aureae neque apud argenteae latinitatis auctores ullus locus inveniatur, ubi „quoniam" particula significatione mere temporali

usurpata sit.*) Haec sententia ea re confirmatur, quod praeter Gellium Apuleius, quem ipsum quoque antiquarium esse constat, uno loco (de magia liber cap. XVII) nostram coniunctionem hac significatione usurpat. Etiam Apuleium hunc usum ex priscis scriptoribus mutuatum esse eo verisimilius est, quod Apuleius hoc loco argumentum orationis cuiusdam Catonis breviter enarrat, nam, ut recte monet Hildebrandius, sine dubio Cato ipse in oratione sua ea particula usus erat.

2. His igitur locis „quoniam" particulae significatio est mere temporalis, ceteris locis omnibus causalis, quamquam concedendum est nonnumquam temporalem significationem latere, velut X, 11, 7; XIX, 8, 10. Sed ne his quidem locis dubitari potest, utrum causalis sit vis particulae an temporalis, cum hoc potissimum scriptor agat, ut causam aliquam afferat, temporalis vero rationis significatio non nisi implicite „quoniam" particula contineatur. Quomodo autem causalis significatio ex temporali oriatur, egregie exposuit F. A. Wolffius ad Tacit. Annal. I, 57: „Ita autem continetur utraque vis, ut a temporis notione ad causae transeatur, siquidem quod certo aliquo tempore fit, pro causa habetur alius rei instituendae".

De ipsa autem causali significatione nostrae particulae recte disputat Draegerus II § 532: es führt den Grund an, der als dem Angeredeten bekannt vorausgesetzt wird: „da nun einmal".

Primum, quantum scio, apud Lucretium (cf. Reichenhart l c. p. 110) tum apud auctores belli Africani et Hispaniensis, deinde apud Tacitum, Suetonium, alios „quoniam" particula nonnumquam ita usurpatur, ut hac significationis proprietate, qua ibi locum habet, ubi causa audienti vel legenti iam nota inducitur, obscurata causam, quam legenti notam esse scriptorem censere negandum est,

---

*) Reichenhartus apud Lucretium octo locis „quoniam" temporalem significationem habere contendit (Blätter für das bayr. Gymnasial-Wesen 1882, p. 104). Sed cum omnibus his locis „quoniam" particula ad transitionem indicandam usurpetur, non est quod temporalem significationem his locis statuamus. Nam cum praeter hos nullus alius locus apud Lucretium inveniatur, ubi nostrae particulae temporalis significatio tribui possit, nedum ubi necessario tribuenda sit, dubium esse non potest, quin his locis „quoniam" particulam causali, non temporali significatione usurpatam et in universum temporalem huius particulae significationem apud Lucretium ita ut apud eius aequales iam non usitatam fuisse statuendum sit.

inducat, id quod vulgo fit „quod“ vel „quia“ vel „quum“ particulis. De hoc usu, quatenus apud Gellium observatur, agit Gorgesius pag. 41, qui per errorem, nisi fallor, statuit omnibus locis Gellianis primariam notionem neglectam esse, nam ita potius res se habet, ut fere quinquaginta locis primaria notio retineatur, nonaginta locis negligatur.

Aliquot inveniuntur loci, ubi „quoniam“ ad pronomen demonstrativum spectat. Hunc usum non ante Gellium inveniri falso contendit Draegerus, nam Reichenhartus l. c. p. 110 unum exemplum ex Lucretio (II, 834) affert, ubi „quoniam“ spectat ad „propterea“.

Locos, quibus apud Gellium „quoniam“ ad pronomina correlativa spectat, collegit Gorgesius, quos, ut lectori ante oculos versentur, hic repeto:

quoniam — propterea II, 7, 18; III, 3, 4.
propterea — quoniam III, 6, 3; XII, 3, 4.
eo — quoniam VI, 13, 3.
ob eam causam — quoniam II, 17, 9.
idcirco — quoniam III, 3, 3; XIV, 1, 26.
quoniam — idcirco praef. 4; VII, 6, 8; XII, 5, 8.

Quod vero his exemplis adiungit: IX, 6, 2, „ratio quoniam“, his locus non huc revocandus est, sed infra tractabitur, ubi de „quoniam“ particula explicative usurpata dissеretur.

Addendus vero hic locus est: eo magis-quoniam XIV, 4, 5; quem locum Gorgesius omisit, credo, quod censebat, vocem „eo“ ad „ut“ particulam spectare, sed si paullo accuratius locum inspexeris, facile concedes „eo“ ad „quoniam“ referendum esse. Nam scriptor non demonstrare vult, cuius rei causa illum locum annotaverit sed potius, qua re commotus sit, ut eum annotaret.

Deinde unum exemplum commemorandum est, ubi ad novam narrationis partem transitio fit:

XX, 1, 36: „Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus poenae putas, quae, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris.“ Gellius facit hoc loco Caecilium transeuntem ad ea refutanda, quae Favorinus de atrocitate generis cuiusdam puniendi dixerat. Quattuor locis per „quoniam“ particulam digressio ab argumento, quod tractatur, fit.

II, 3, 5: „Sed quoniam „aheni“ quoque exemplo usi sumus, venit nobis in memoriam Fidum Optatum ostendisse mihi librum Aeneidos secundum.“

Item: III, 16, 22; V, 8, 8; IX, 9, 12.

Unum exemplum inveni, ubi enuntiatum ex „quoniam“ pendens non ad totam sententiam, sed ad unam vocem spectat, ita ut parenthesis esse videatur. XVII, 1, 11: „Nam cum adversarii et obtrectatores M. Caeli, quoniam erat pulchro corpore, formam eius et faciem in suspiciones impudicitiae accerserent“ e. q. s. Enuntiatum ex „quoniam“ suspensum non causam affert, cur adversarii M. Caelii formam eius et faciem in suspiciones impudicitiae vocaverint, sed ad „formam et faciem“ referendum esse apparet (da sie seine Gestalt und sein Aeusseres zur Verdächtigung herbeizogen, er war nämlich schön von Körper). Videmus igitur „quoniam“ particulam hoc loco vice coniunctionum coordinatium „enim“ vel „nam“ fungi.

3. Sequitur ut duos locos afferam, quibus „quoniam“ non causam inducit, sed instar „quod“ particulae explicativam vim habet. XII, 7, 2: „dicebatque habuisse se faciendi causam, quoniam idem illi maritus et filius alterum filium mulieris ex viro priore genitum, adulescentem optimum et innocentissimum, exceptum insidiis, occidissent“. Cod. N. hoc loco praebet „quom“, quam scripturam errore librarii ex qm̃, quod compendium, quo „quoniam“ exprimi notum est, in ceteris codicibus invenitur, ortam esse facile intellegitur. Hunc locum non vertendum esse: sie habe einen Grund gehabt zu ihrer That, weil ihr Gatte und ihr Sohn .... getötet hätten, sed ita: sie habe den Grund gehabt, dass ihr Gatte .... getötet hätten, nemo negabit. Nam mulier non hoc agebat, ut ostenderet, aliquam causam faciendi se habuisse, sed potius, quam causam habuisset. Explicative igitur „quoniam“ particulam hoc loco usurpatam esse luce clarius est.

Idem cadit in IX, 6, 2: „rationemque dicunt quoniam in verbo principali, quod est „ago“, prima littera breviter pronuntiatur“ (und sie behaupten, der Grund dafür sei der Umstand, dass im Stammwort die erste Silbe kurz gesprochen werde).

4. Sequitur ut unum locum afferam, quo „quoniam“ particula non causam inducit, sed eandem significationem habet, quam „quod brachylogicum“, quod dicitur (was das betrifft „dass“ vel „wenn“).

X, 11, 4: „Quoniam autem id, quod non segniter fiebat, „mature“ fieri dicebatur, progressa plurimum verbi significatione non iam, quod non segnius, sed quod festinantius fit, id fieri „mature“ dicitur“.

Hunc locum Weissius ita vertit: „Wenn nun aber von dem, was nicht langsam entstand, gesagt wurde“; idque merito. Nam Gellius postquam dixit vocem „mature“ duas significationes habere, cum et id, quod non segnius fieret, et id quod non citius fieret, notaret, in priori harum significationum accuratius consideranda aliquamdiu versatur atque demonstrat hanc significationem latius progressam esse atque etiam id complecti, quod festinantius fiat. Codex N. hoc loco praebet „quom“, sed quum ceteri omnes qm̃ = quoniam praebeant, sine dubitatione editoribus assentiendum est, qui ad unum omnes „quoniam“ in textum receperunt.

5. Duo restant loci, ubi in „quoniam“ particula „quum“ particulae vis inest:

I, 7, 19: „sonus tamen et positura ipsa verborum satius declarat id potius ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων modulamentisque orationis M. Tulli convenisse, ut quoniam utrumvis dici Latine posset, potestatem dicere mallet, non potestate“. Enuntiato ex „quoniam“ suspenso non causam contineri, cur Cicero „in potestatem“ dicere maluerit quam „in potestate“ nemo non videt. Locus ita vertendus est: dass, während beides gut Lateinisch gesagt werden konnte, er doch lieber sagen wollte: „potestatem“, nicht „potestate“.

Altero loco quoniam perinde atque „cum“ vel „quamvis“ positum est. XVIII, 4, 5: Quaesitum ergo ex se Apollinaris neque id se dissolvere potuisse adseverabat, quid esset „vanior“ et quid „solidior“, quoniam Sallustius sic ea separasse atque opposuisse inter se videretur, tamquam diversa ac dissimilia nec eiusdem utraque vitii forent.“ Hic locus a Weissio vertitur: er sei nicht im Stande gewesen, die Frage zu lösen, was die beiden Ausdrücke: „vanior“ und „solidior“ bedeuten sollten, während doch Sallust die beiden Ausdrücke so geschieden zu haben scheine.“ Haec versio comprobanda est, nam enuntiato ex „quoniam“ suspenso non comprobatio vel causa sententiae, quae in enuntiato primario inest, sed potius res huic sententiae opposita atque contraria continetur. Hanc adversativam „quoniam“ particulae significationem apud nullum alium scriptorem inveni; sed si absurdum hunc usum

putaremus, non recte statueremus, siquidem constat „quoniam“ particulae originem ex „cum“ particula, quae saepissime hanc vim habet, repetendam esse.

6. De modis post „quoniam“ usurpatis pauca annotare sufficiat.

a) Ut post quod et „quia“, ita etiam post „quoniam“ haud ita raro in oratione obliqua indicativus pro coniunctivo legitur. Sic II, 4, 6; IV, 3, 1; XI, 12, 1; XIV, 1, 4; XVII, 1, 1.

Pauca annotanda sunt de XI, 1, 1. Hoc loco codex N. pro „quoniam“ praebet „quom“, sed cum reliqui codices „quoniam“ praebeant, cum editoribus faciendum est, qui „quoniam“ in textum receperunt. Pro „vocitati sunt“, quod omnibus codicibus excepto Z, qui verbum „sunt“ omisit, perhibetur, Alb. Lion legit „sint“, quo auctore etiam Hertzius „sint“ in textum recepit. Sed non video, quo iure, nam etsi sequitur coniunctivus „solita sint“, qui ipse quoque ex „quoniam“ particula pendet, tamen non est, quod lectio tradita mutetur. Nam saepius apud Gellium in eodem verborum circuitu modorum mutatio reperitur; cf. XI, 5, 7; XII, 7, 4.

b) Coniunctivus ubi legitur, facile ex orationis obliquae ratione explicatur. Duo tantummodo loci memoratu digni esse videntur: IX, 2, 10: „Maiores autem mei Athenienses nomina iuvenum fortissimorum Harmodii et Aristogitonis, ne umquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt, quoniam nefas ducerent nomina . . . pollui.“

Hoc loco coniunctivus aliquid offensionis habet, nam si logicas leges secutus esset, Gellius scribere debuit aut „quoniam nefas ducebant“ aut „quoniam nefas esset.“ Sed cum vel optimos scriptores in enuntiatis causalibus verborum sentiendi et declarendi coniunctivum haud ita raro ponere constet, etiam Gellium hoc loco hanc dicendi rationem sequi non mirum est, quamquam, ut supra vidimus, in enuntiatis ex „quod“ et „quia“ suspensis ubique horum verborum indicativum usurpavit. Ceterum etiam hoc loco codex N. pro „quoniam“, quod reliqui praebent, „quom“ perhibet.

Alter locus, quo coniunctivus paullo insolentius positus esse videtur, legitur X, 20, 5: „Plebem autem Capito in eadem definitione seorsum a populo divisit, quoniam in populo omnis pars civitatis omnesque eius ordines contineantur, plebs vero ea dicatur, in qua gentes civium patriciae non insunt.“ Hoc loco coniunctivus ex opinione Capitonis explicandus esse videtur, sed indicativum

expectamus, cum Gellius non tam id agat, ut demonstret, quae causa Capitoni obversata sit, quam, qua de causa statuendum sit suo iure eum plebem seorsum a populo divisisse. Huc accedit, quod ea res, quae enuntiato ex „quoniam“ suspenso continetur, lectoribus satis nota neque cuiquam ullo modo dubia est.

Illis locis duobus, ubi, ut supra vidimus, „quoniam“ adversativam vim habet, oratio est obliqua.

§ 4.

Quando.

1. „Quando“ particulae primariam vim esse temporalem viri docti consentiunt. Haec significatio per omnes linguae Latinae aetates servata est. Atque prisci quidem scriptores hac particula nusquam actionem, quae semel facta est, (einmalige Handlung) sed aut actiones, quae repetuntur (wiederholte Handlung), aut actiones, quas futuras esse vel fieri posse statuitur (zu unbestimmter Zeit geschehende Handlung) significant cf. Dräger II § 5, inde a Cicerone etiam actiones semel factae hac particula inducuntur. Apud Gellium „quando“ quattuordecim locis temporalem vim habet, nullo loco actionem semel factam significat, unde fit, ut nusquam tempus perfectum usurpetur. Hoc quoque igitur in usu Gellius priscos scriptores videtur imitatus esse.

Quum omnibus his locis „quando“ eandem vim habeat atque „cum temporale“, non mirum est has particulas promiscue usurpari. Hoc observatur XVII, 7, 6: „Quando per sese ponuntur, habent atque retinent tempus suum, cum vero praeterito iunguntur, vim temporis sui amittunt et in praeteritum contendunt.“ Deinde unus locus commemorandus est, ubi „quoniam“ ad notionem quandam definiendam adhibetur: I, 20, 3: „Solidum est, quando non longitudines modo et latitudines planas numeri linearum efficiunt, sed etiam extollunt altitudines.“ Hoc loco definitur, quid sit „solidum“ Restat ut afferam XIV, 3, 10: „Tum postea ex alieno certamine ad eos quoque ipsos contagium certationis adspirat cursusque eorum ad eandem virtutis calcem pergentium, quando est compar vel ambiguus, in aemulandi suspitiones non suo, sed faventium studio delabitur.“ Hoc loco „quando . . . vel“ eandem vim habet quam vulgo „sive . . . sive.“

2. Nunc eos locos commemoremus, ubi „quando“ particula causalem significationem habet.

„Quandoquidem“ vel „quandoque“ apud Gellium nusquam legitur. F. A. Wolffii de „quando“ particulae vi ac ratione annotationem iam supra ascripsi. Qua annotatione quamquam prorsus recte Wolffius explicavit, qui factum sit, ut „quando“ particula, cuius primaria vis et temporalis, causalem vim indueret, tamen in perpaucos tantummodo totius latinitatis locos haec explicatio quadrat, in plerisque enim exemplis particulae vis ea est, ut temporis significatio minime appareat. Ut non dicam de ceteris scriptoribus — quod attinet ad Suetonium hoc exemplis comprobavit Trachmannus l. c. p. 36 — apud Gellium nullum exstat exemplum, in quo temporis significatio lateat, sed in omnibus vis particulae est mere causalis.

Reisigius de huius particulae significatione haec disputat: „Quando drückt nur erst durch einen Syllogismus, wie si und cum, einen Grund aus“ (Vorlesgg. ü. lat Spr. III p. 290); idque suo iure contendit, nam „quando“ particula plerumque logicam causam significat etsi facile concedo apud multos scriptores originariam particulae significationem saepius obscuratam esse. Qua de causa improbanda est Ribbeckii sententia, qui hoc dicit: weil es auch den Grund nur als ein zeitliches Moment äusserlich hinstellt“ e. q. s. (Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln p. 49.) Reisigii annotatio etiam a Draegero, Schmalzio, aliis prorsus neglecta est. Hac in re „quando“ cum „quom“ particula convenit, a qua hac re differt, quod plerumque causam affert, quae non in ipsa re posita est, sed ex exterioribus rebus (den begleitenden Umständen) repetitur. Ita fit ut saepius causam legenti satis notam inducat, quam significationem cum „quoniam“ coniunctione communem habet. Ceterum cum Reisigii explicatione ea res non pugnat, quod interdum „moralis“, ut ita dicam, causa nostra particula significatur, nam, ut supra dixi, „moralis“ causa intellegi potest logica.

Apud Gellium „quando“ particula quattuor locis causaliter usurpata est. Atque uno quidem loco „quando“ perinde atque „cum“ logicam causam significat: IX, 9, 16 sq.: „praeter ista omnia florem ipsius totius loci Vergilium videri omisisse, quod hanc Homeri versum exigue secutus sit: Ῥεῖα δάρι γνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι, quando nulla maior cumulatiorque pulcritudinis

laus dici potuerit, quam quod una inter omnes pulcra excelleret, una facile et ex omnibus nosceretur.

Duobus locis „quando" ad „quoniam" particulae significationem accedit: XIII, 1, 2: .... „id maxime requirendum, qua ratione dixerit, accidere multa humanitus posse praeter fatum, quando sic ratio et ordo et insuperabilis quaedam necessitas fati constituitur, ut omnia intra fatum claudenda sint".

XVII, 1, 7: „neminem autem recte ita loqui „paenitere sese, quod natus sit" aut „paenitere, quod mortalis sit" aut „quod ex offenso forte vulneratoque corpore dolorem sentiat", quando istiusmodi rerum nec consilium sit nostrum nec arbitrium, sed ea ingratis nostris vi ac necessitate naturae nobis accidant".

Uno loco „quando" habet „quod" particulae significationem:

XVI, 10, 4: eo maxime, inquam, te dicere hoc oportet, quando, ut praedicas, peritus iuris es". Hic locus eo memorabilior est, quod „quando" ad pronomen correlativum „eo" spectat.

Hunc usum apud alium scriptorem non inveniri iure docet Draegerus l. c. pag. 650.

3. Sequitur ut quinque locos commemoremus, ubi in „quando" particula vis adversativa inest.

X, 11, 4: „non iam, quod non segnius, sed quod festinantius sit, id fieri „mature" dicitur, quando ea, quae praeter sui temporis modum properata sunt, immatura verius dicantur". Ad hunc locum annotat Madvigius (adv. crit. II pag. 60): „Non comprobationem et causam illius usus haec extrema continent, sed potius ostendunt non recte ita dici. Itaque scribendum, quod etiam coniunctivus (dicantur) requirit: quamvis ea .... immatura dicantur".

Sed suo iure Hertzius lectionem codicibus traditam retinuit, quam rationem contra Madvigium defendit vindic. Gellian alterae pag. 63.

Alter locus est II, 6, 7: „vexatam Italiam dixit Cato ab Hannibale; quando nullum calamitatis aut saevitiae aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpessa sit".

Tertius locus est XII, 13, 15: „Atque insuper dubitatur, an ante Kalendas quoque pronuntiari possit, quando neque ultra neque citra, sed, quod inter haec medium est, intra Kalendas pronuntiandum sit".

Hertzius in editione priori secutus codices QZB, qui „ante Kalendis" praebent, levi mutatione adhibita legit: „an ante Kalendas". Hanc lectionem mendosam esse demonstravit Madvigius (advers. critic. II pag. 603), ostendit enim, id, quod insuper dubitetur, esse, an Kalendis quoque, non, an ante Kalendas pronuntiari possit. Idem ibidem proponit „anne Kalendis", sed potius cum Hertzio faciendum est, qui in alteram editionem recepit: „an Kalendis", quae lectio, etsi codicibus XOΠ praebetur, ad id tempus prorsus neglecta erat. Etiam hoc loco in particula „quando" adversativam vim inesse vidit iam Madvigius, annotat enim: „scribendum est: quum (hoc est: quum tamen) pro quando".

Quartus locus, ubi haud dubie „quando" adversative usurpatum est, legitur XIII, 30, 2: „Sicuti quidam faciem esse hominis putant os tantum et oculos et genas, quod Graeci πρόσωπον vocant, quando facies sit forma omnis et modus et factura quaedam corporis totius, a faciendo dicta". Hic locus Madvigium fugisse videtur.

His locis etiam XIX, 8, 6, quo loco dubitari potest, utrum causalis an adversativa vis in „quando" particula insit, adiciendum esse, infra demonstrabo.

Hujus usus duo tantummodo exempla apud alios scriptores inveni, quorum unum exstat apud Plautum, alterum apud Apuleium. Plaut. Trinum. V, 2, 8: ut filius tuos, quando illi a me darem, esse adlatum id abs te crederet. (cf. Scherer l. c. p. 35) = damit dein Sohn glaubte, dies sei von dir herzugebracht, während ich es doch jenem von meinem Vermögen gab. Hac significatione Plautum „quando" particulam usurpavisse haud ita mirum est, siquidem constat, etiam ceteroquin apud priscos scriptores „quando" particulam easdem notiones induisse, quas „quom" habet, quamquam post Plautum haec ratio „quando" particulae adversative usurpandae prorsus evanuit. Quod vero Gellius hunc usum renovavit, ex Plauto eum hausisse videtur, id quod etiam de Apuleio dicendum est, apud quem „quando" particula adversativa notione usurpata hoc loco invenitur: de mundo 31: „unde nihil mirum est, si mortales oculi eius non capiunt aspectum, quando divinorum operum vestigiis sit perspicuus atque manifestus".

4. Quod attinet ad modos cum „quando" particula coniunctos, et prisci scriptores et aureae et argenteae latinitatis auctores in oratione recta semper indicativum usurpant, id quod de Taciti usu

Reussius l. c. p. 37, de Quintialano Güntherus l. c. 44, de Suetonio Trachmannus l. c. p. 39 observaverunt. Hunc usum etiam Gellius sequitur, quatenus „quando" particulam temporali et causali vi usurpat. Nam omnibus locis, ubi „quando" temporalem vim habet, legitur indicativus exceptis duobus: praef. 1 et 2, quibus locis coniunctivus ex orationis obliquae ratione facile explicatur. Quod attinet ad eos locos, ubi in „quando" particula causalis vis inest, duobus locis legitur indicativus: XIII, 1, 2; XVI, 10, 4; duobus locis coniunctivus: IX, 9, 17; XVII, 1, 7. His locis oratio eit obliqua.

Quattuor illis locis, ubi in „quando" particula adversativa vis inest, coniunctivus legitur, qui modus ipsa adversativa, notione postulari videtur.

Restat ut de uno loco dicamus, ubi „quando" particula causalem an adversativam vim habeat, dubitari potest.

XIX, 8, 6: Ac fortassean de quadrigis veterum auctoritati concessero, inimicitiam tamen, sicuti inscientiam et inpotentiam et iniuriam, quae ratio est, quamobrem C. Caesar vel dictam esse a veteribus vel dicendam a nobis non putat, quando Plautus, linguae latinae decus, deliciam quoque ἑνικῶς dixerit pro deliciis?" Enuntiatum ex „quando" suspensum et ad enuntiatum primarium („quae ratio est) et ad id enuntiatum, quod adverbio „quamobrem" inducitur, referri potest. Quum refertur ad enuntiatum primarium („quae ratio est" interrogatio est rhetorica = nulla ratio est) „quando" particula intellegitur causaliter usurpata, quum refertur ad enuntiatum, quod adverbio „quamobrem" inducitur, „quando" particulae adversativa significatio tribuitur. Harum explicationum utra probanda sit, non est difficile dictu. Nam causalem vim „quando" particulae tribuere ipso coniunctivo, qui cum „quando" particula coniunctus est, prohibemur. Neque enim ullo loco apud Gellium coniunctivus cum „quando" particula causaliter usurpata ita coniunctus est, ut neque oratione obliqua neque alia ratione excusetur. Quae quum ita sint, „quando" particulae adversativam vim tribuendam esse pro certo habeo.

§ 5.

Siquidem.

De „siquidem" disputat Draegerus l. c. pag. 7, 2. „Si quidem „wenn nämlich" wird zuerst aus Cicero belegt und hat schon bei

ihm zuweilen eine causale Bedeutung, wie quoniam, den bekannten Grund bezeichnend.“ Sed hoc non prorsus recte dicit, nam „siquidem“ iam a Plauto si non causali, attamen conditionali significatione usurpatur. Causalis significatio iam apud Varronem observatur. Ac ne hoc quidem iure contendit hanc particulam perinde atque „quoniam“ causam omnibus notam significare. Nam in narratione saepius fit, ut „siquidem“ particula res legenti vel audienti prorsus novae atque inauditae inducantur. Huc accedit quod ne certae quidem causae ubique hac particula significantur, sed saepius eiusmodo res, de quibus scriptorem, utrum verae sint necne, dubitare appareat. Huiusmodi sunt nonnulla ex iis exemplis, quae ipse Draegerus affert, velut Cic. ad fam. 10, 33, 1; Brut. 10. Ex Suetonio Trachmannus l. c. p. 39 duo affert exempla, ex quibus elucet, scriptori dubitationem quandam de eo, quod scribat, non deesse. Videmus igitur ipsa „si quidem“ particula non indicari, utrum ea res, quae enuntiato ex „si quidem“ suspenso continetur, pro vera a scriptore habeatur necne, neque utrum hanc rem legenti notam esse scriptor statuat necne, sed hoc ex argumento tantummodo enuntiati ex „siquidem“ suspensi intellegitur. Hoc potius dicendum est vim „si quidem“ particulae esse et manere conditionalem, interdum hanc particulam significationem causalem induere. Hoc ita fit ut tacite ponatur argumentum enuntiati ex „siquidem“ suspensi a veritate non abhorrere. Hoc enim cum ponitur, inde concluditur etiam argumentum enuntiati primarii verum esse (wenn dies ist, so folgt; es ist aber so, folglich ergibt sich jenes). Ex his, quae dixi, facile colligitur logicas tantummodo causas hac particula induci.

Apud Gellium haec particula bis tantummodo invenitur. IX, 9, 15: „atque illud impense Probum esse demiratum iam in Vergilio dicebant, quod Homerica quidem Λητὼ gaudium gaudeat genuinum et intimum atque in ipso penetrali cordis et animae vigens, siquidem non aliud est: γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ“. Hoc loco indicativus aliquid offensionis habet, quum in oratione obliqua positus sit. Nam enuntiatum ex „siquidem“ suspensum non ex Gellii, sed ex Probi sententia aptum esse intellegendum est.

Alter locus est XVII, 5, 11: „Non ergo obscuro neque ambiguo argumento usus est, sed certo atque perspicuo, siquidem, qui vere beneficus liberalisque est, qua mente bene aut liberaliter faciat, non quaeritur“. Etiam hoc loco indicativus legitur.

§ 6.

Quatenus. Quippe. Ut qui.

„Quatenus“ a Gellio nusquam causali significatione usurpatur, sed ubique est adverbium interrogativum modali significatione usurpatum.

„Quippe“ legitur septendecim locis. Omnibus his locis invenitur in enuntiato, in quo inest verbum finitum. Sedecies in indicativo positum est, semel in coniunctivo potentiali: XX, 5, 8: „quippe ego doctrina anteire malim quam copiis atque opulentiis“.

Quinquies primo loco enuntiati invenitur, undecies secundo loco, semel tertio loco, quem locum adscribam XVIII, 4, 6: „Ipso illo quippe Cn. Lentulo stolidior est et vanior, qui ignorat eiusdem stultitiae esse vanitatem et stoliditatem“.

Pronomen relativum cum „quippe“ coniunctum nusquam invenitur. Nam quod legitur II, 26, 5: „Quippe, qui rufus color, a rubore quidem appellatus est“, hunc locum huc non esse revocandum nemo non videt.

„Ut qui“ semel legitur: XV, 28, 1: „Cornelius Nepos et rerum memoriae non indiligens et M. Ciceronis ut qui maxime amicus familiaris fuit“. Significatio formulae „ut qui“ hoc loco est comparativa (= ut is qui maxime familiaris fuit, amicus familiaris fuit).

Restat ut unum locum afferam, qui non iam satis emendatus esse videtur: IV, 3, 39 libri praebent: „His argumentis Tiro Tullius M. Catonem contendere et conficere dicit, Rodiensibus quoque impune esse debere, quod hostes quidem esse populi Romani voluissent et qui maxime non fuissent“. Postrema verba corrupta esse nemo non videt.

Carrio proponit: „etsi maxime“, I. F. Gronovius: „at cum maxime“, Alb. Lion: „at qui maxime“, Hagen: „at quam maxime“, Madvigius: „ut qui maxime sed“, Hertzius, quem sequitur C. F. W. Müller (annal. phil. 93, 487): ut qui maxime“. Has coniecturas accuratius examinare longum est, hoc tantum dico, nulla locum ita expediri, ut nulla difficultas relinquatur. Equidem censeo etiam vocem „maxime“, quae ob omnibus emendatoribus servatur, corruptam esse.

§ 7.

Tamquam. Quasi.

„Tamquam" particulam apud Tacitum, Celsum, Plinium minorem, „quasi" particulam apud Tacitum creberrime ad causalem „quod" particulae significationem accedere Schmalzius docet l. c. pag. 342 et 362. Huius usus exempla aliquot etiam apud Suetonium inveniri docet Trachmannus l. c. pag. 18. Ac ne apud Gellium quidem desunt exempla huc spectantia. „Tamquam" causalem vim habet his locis: I, 25, 8; II, 6, 4; IV, 20, 8; V, 8, 1; VI, 3, 52; XII, 1, 8; XIII, 9, 3; 31, 1; XV, 2, 3; 21, 1; XIX, 8, 12; 14, 3. „Quasi" causalem vim habet his locis: Praef. 13; praef. 14; II, 6, 1; 12, 5; 23, 12; III, 10, 11; IV, 2, 7; 2, 10; VI, 3, 52; VII, 6, 2; XII, 2, 12: XVI, 19, 18. Praeterea unus locus commemorandus est, quem Gellius XIII, 14, 6 ex M. Valerio Messalla Corvino enotat. qui invenitur: de auspic. frag. 3 pag. 104 Huschk: Idcirco omnes, qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscenis ominosum". His locis omnibus quamquam concedendum est, in his particulis comparativam vim inesse, tamen etiam causalem quandam significationem habent. Uno tantum loco „quasi" particula significatione comparativa prorsus obscurata mere causalem vim habet: XII, 2, 12: Dignus sane*) Seneca videatur lectione ac studio adulescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Soterici lectis comparavit quasi „minimae scilicet gratiae et relictis iam contemptisque".

Idem cadit in „tamquam" particulam hoc loco: XV, 21, 1: ferocissimos et immanes et alienos ab omni humanitate, tamquam e mari genitos, Neptuni filios dixerunt".

Omnibus locis hae particulae ita positae sunt, ut scriptor non, quid ipse sentiat, sed quae aliis causa visa sit, indicet. Ex his locis non pauci ita comparati sunt, ut ex sententiarum nexu appareat, scriptorem causas, quas ab aliis statui indicat, improbare

Ex „tamquam" particula duobus tantum locis (VI, 3, 52; XVI, 19, 18) verbum finitum aptum est. Ceteris locis haec par-

*) Vocem „sane" tollendam esse censeo, quum a sententiarum nexu prorsus aliena sit. Miror Hertzium hanc vocem in textum recepisse, etsi codicibus Q. Z. B. omittitur.

ticula adverbialiter sine verbo finito posita est. Idem cadit in „quasi" particulam his locis: VI, 3, 52; XIII, 9, 3; XV, 21, 1; XIX, 14, 3. Semel hoc modo usurpatum invenitur: „tamquam si" VI, 3, 52: „(Cato Rodienses) . . . tamquam si innocentes purgat". „Tamquam si" praebetur codice Par. S. Germ. 643, Caspari Scieppii excerpta eorumque apographa Wouweriana praebent „quasi", quae lectio praeferenda esse videtur. Duobus locis (II, 6, 1; VII, 6, 2) „quasi" particula adverbialiter posita ad verbum „reprehendo" adiungitur.

Uno loco (XIII, 31, 1) „tamquam" ad verba „laudandi" annectitur: „laudabat venditabatque se nuper quispiam in libraria sedens homo inepte gloriosus, tamquam unus esset in omnis caelo saturarum M. Varronis enarrator".

His annectam uno loco „tamquam" particulam substantivo „fama" adiungi pro accusativi cum infinitivo constructione: III, 9, 2: „Gnaeum Seium . . . habuisse equum . . . de quo fama constans esset, tamquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuissent". Restat ut afferam XVI, 5, 12: „Non enim vestibulum priorem partem domus infernae esse dicit, quod obrepere potest, tamquam si ita dicatur, sed loca duo demonstrat extra orci fores". Hoc loco „obrepere tamquam si" eandem vim habet quam vulgo habet verbum „videri" cum infinitivo coniunctum.